






chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris
LUIGI FIRPO

JOANNIS JOVIANI
PONTANI
VITA
AUCTORE
ROBERTO DE SARNO
Congregationis Oratorii Neapolitani Presbytero.



NEAPOLI MDCCLXI.

Excudebant FRATRES SIMONII
PUBLICA AUCTORITATE.





EXCELLENTISSIMO MARCHIONI

BERNARDO TANUSIO

FERDINANDI IV.

UTRIUSQUE SICILIÆ REGIS

IN REGNO REGENDO A SUPREMIS CONSILIIS, ATQUE A SECRETIS IN NEGOTIIS AD EXTEROS REGES, AD SACRAM DOMUM, SACRASQUE VILLAS, NECNON AD CURSUM PUBLICUM, ATQUE AD THEATRUM PERTINENTIBUS, EQUITI CLAVIS AUREÆ, AC INTIMO REGIS CUBICULARIO.

ROBERTUS DE SARNO.



Ix prelum evaſerat vita hæc, cum e veſtigio ad Te properare, ac tuum ſibi auſpicium, ac patrocinium fiden-:r expoſcere præcipuo quodam jure videba-

tur. Cur id sibi vindicet; aperiam: quod nec temere factum, nec levibus ex caussis, quas in operum nuncupationibus plerumque moris est pertexere, oportebit, ut fatearis. Etenim cum egomet mihi mecum vitæ tuæ consuetudinem considero, atque egregia facinora tua cum iis, quæ Pontanus egit, confero, inter se adeo nexa, ac consimilia video, ut cum os istud tuum priscæ gravitatis, & fidei monumentum intueor, illum ipsum intueri, atque inter nos ætatem agere suam ancipiti animo interdum suspicer. Quotus enim quisque est, cui perspectum nondum etiam est Pontanum ad supremos dignitatum gradus evectum ob singularem sapientiam, prudentiam, ac in temporibus difficillimis dexteritatem, Regesque Aragonenses prope decertasse in illo exornando amplissimis beneficiis, & honoribus quantis maximis eum sibi devincientes? FERDINANDUS Rex a Secretis adhibuit, simul & Alphonsum filium litteris, & moribus informandum tradidit: postmodum in Regni negotiis impeditissimis extricandis a consiliis sibi comitem adscivit, quem vigilem, sollertem, prudentemque non tantum intus domique, sed foris belloque expertus est. Verum his immorari piget, cum oratio ad Te labatur necesse est, quem pariter spectata satis doctrina, fides, gravitas,

quas

quas in Te ſitas prædicabant univerſi, olim inter belli tumultus intime commendarunt Regi CAROLO omnium retro Principum præſtantiſſimo, ac hominum æquiſſimo æſtimatori, qui munus a ſecretis Tibi prŏbe demandari autumavit. Hoc in munere quo pacto Te geſſeris nihil eſt, quod hujuſce epiſtolæ cancellis tam difficile concludi queat: vel potius eccuinam inauditum, aut incompertum eſſe poteſt, cum ubique locorum perfectæ tuæ ſapientiæ, cumulatæque virtutis vigeant monumenta una cum ſæculis, ætatibuſque hominum duratura. In hac urbe, & in foro quidem litigatorum ambages, & licentiam coercuiſti, legumque ſeveritatem pene defluxam vel novis per optimum Regem, Te auctore, conditis legibus, vel veteribus reſtitutis, revocaſti. Ceteris autem hujus Regni Provinciis antehac deſpectiſſimis, quæ per Te parta quies, qui civilis cultus, ac nitor? cum id tantopere caveris, ut Juris conſulti probatiſſimi in his locis jus dicerent, ac rei univerſæ publicæ in anguſtias redactæ opem ferrent, atque impiorum hominum, qui vel impune diſcurrentes, aut in inſidiis ſuccenturiati bona diripiebant, ac cuique bono inſidiabantur, impetus, ac audaciam retunderent. Neque a recti propoſito Te unquam dimovit vel alicujus gratia, vel opum conqui-

ren-

rendarum amor, a quo animus abhorruit, cum id hucusque quæstum duxeris maximum, hujus urbis, & Regni commodis quam maxime inservire; adeo ut in Te apte cadat Pontani effatum illud, qui instigantibus amicis uti ditesceret, statim subjiciebat: *Egere nolo, opulentus esse recuso;* id quod est sapere, & omnem omnino maculam effugere. Quare nemo umquam a Te rem injustam petere ausus est, sed emeritam, ac debitam. Hinc factum, quod cum duobus abhinc annis, magna rerum mutatione impendente, CAROLUS Rex Pientissimus longe gentium ad Iberos profecturus esset (cujus temporis recordatione adhuc animus mœret) Tibi uni tum concredidit penitiora, atque gravioris moliminis negotia. Quod vero unumquemque in admirationem tui traduxit, id sane fuit Te tam multa, atque aspera aggressum tam celeriter absolvisse. Isthæc eximie acta effecere, ut CAROLUS Rex non modo inter X. Viros hujus Regni Moderatores excellentissimos adlegerit, sed & uni Tibi laboriosas curas demandaverit. At cum hæc, & alia olim ursere, ac porro impensius urgeant, inter quæ vix hiscere ad ducendum spiritum ceteri quivissent, nunquam Te a Musarum quam arctissimo consortio avulsum compertum, atque exploratum est, neque impedimento ullatenus

sunt,

ſunt , quominus & doctis libris impalleſcas ; & conventibus litterariis interſis , ac præſis . Vel in hoc quidem Pontani æmulator extitiſti: nam Pontanianam Academiam, cujus rumor olim orbem pervaſerat, quæque artes, & diſciplinas intermortuas excitavit, floruiſſe demum viſum eſt ſub CAROLI Auſpiciis, Te ſuaſore, reſtitutam, quam Societatem, an Emporium doctiſſimorum virorum, an quo alio nomine vocem? inter quos eminet Doctiſs. Mazochius, quem non aliter ſalutandum reor, quam verbis Caroli le Beau Pariſienſis Academiæ Scribæ perpetui, *totius Europæ litterariæ miraculum*. Hiſce viris Tu non præes tantum, ſed & eorum recitationibus ades, ac ſæpius tuam profers de rebus obſcurioribus ſententiam, nihil ut magis illi vereantur, quam acre, ac defæcatum judicium tuum. Cui ſane quam uni Tibi accepta referimus tot monumenta ex Herculanei viſceribus effoſſa, quæ poſt tot ſæculorum intercapedinem ſarta tecta, nunc ſane obmarcuiſſent, vel peſſum iviſſent, niſi opera intentiore id egiſſes, ut ſigna, vaſa, toreumata, ſcalptæ gemmæ, atque id genus alia, ſuis quæque repoſta loculis, diligenter adſervarentur: picturæ vero in æs inciſæ Academicis diſtribuerentur, qui accommodatis commentariis, aut dilucidis explanationibus eas in-

ſtrue-

ſtruerent; quarum duo volumina ſollerti ſtudio tuo, ac labore in ordinem digeſta, atque in compendium coacta, ne ſpiſſiora, quam par erat, evaderent, typis magnifice excuſa, & ſumptu vere Regio non ſine ingenti litteratorum hominum plauſu, atque oblectatione in lucem prodiere, & tertium jam prelo madet. Potiori igitur jure hic proloqui mihi fas ſit, quæ olim Petrus Summontius ſibi ominatus eſt, fore ſcilicet, ut poſteritas ſuæ ætati invidiſſet, cui frui Pontano licuerit; quando nobis gratulandum eſt, quod ſeri nepotes nos beatos prædicabunt, quibus Te propius intueri contigerit, & ad quos ex tuæ ſapientiæ laticibus tot manarint commoda, unde hæc hilariora refulgent tempora. Jam Tanuſi Ampliſſime, id libenter expoſui, quod initio receperam, quo non aliis ſub auſpiciis, quam tuis vitam hanc edendam Tibi admodum ſuaſiſſem; ſi quid amplius verbum adderem apud Te gravem offenſionem ſubire vererer.

Mi-



Pontani Stemma Gentilitium


Irari numquam destiti, & caussam sedulo inquirere, cur JOANNIS JOVIANI PONTANI *de Rep. litteraria benemerentissimi vitam nemo unus adhuc dum perscribere accuraverit, cum nihil quidquam egregii viri decori augendo, patriæ ornamento, civiumque animis ad virtutem exacuendis congruentius fore reputaverim, quam illius res gestas litteris ære perennioribus consignare. Fateor equidem non defuisse quamplurimos, qui Pontani vitam memoriæ aliquando prodere polliciti sint, sed horum alii obstrictam fidem fallere veriti non sunt: alii contra vix pauca protulerunt Joviani facta, veluti disjecta membra, ut illum misere discerptum palam conqueri me haud pœniteat. Profecto quidquid in caussa fuerit, quamobrem ab hoc opere se abstinuerint,*

rint , decernere nequeo : acrius tamen pupugit me Pontani acta silentio contabescere debuisse ; atque hoc monumento carere Neapolitanos , quibus affatim gloriæ ac famæ plurimum Jovianus apud exteros peperit , adeo ut quotquot ex locis vel longinquis ad Neapolim confluunt anxie de Pontano rogitent , & religione quadam recolendæ ejus memoriæ tacti Ædem ab ipso constructam invisere gestiant . Hinc retro actis annis cum Philippus D' Orvillus Amstælodamensis ingentis eruditionis vir eam situ squalentem , & illuvie obsitam promercalium rerum officinam factam contemplatus esset , temperare se nequivit , quin cultissimo carmine Neapolitanos distringeret , utpote qui in ossa Pontani impune grassari paterentur . At quatuor abhinc annis cum lis exarserit pro instauranda hac Pontani Æde partim incuria , partim temporis injuria fatiscente , CAROLUS *tunc Neapolitanorum & Siciliensium Rex providentissimus imperavit, ut in pristinam dignitatem , ac munditiem actutum redigeretur ; & marmora tum græca , tum latina internis hujusce ædis parietibus affixa , vel solo prostrata , quæ aut ob exesas pene litteras incommoda legentibus , vel flagitiose dissecta conspiciebantur , in integrum restituerentur , subjecta etiam græcis lapidibus latiari interpretatione . Sed ne alio deflectere videar , æstuante hac controversia amicorum selectissimi de Pontano , ejusque operibus crebra colloquia serentes hortari , atque latus fodere , ut de-*

side-

ſideriis ipſorum litatum irem , & Pontani vitam, de qua meditabar , aliquando elucubrarer : acceſſit hiſce ſtimulis patris mei auctoritas , & juſſum , adeo ut negotium in me ipſe ſuſceperim. Interea nihil non rerum ſategi , ut quoad fieri poſſet diligentia ac ſollertia Joviani acta vel ex perpeti ejuſdem operum lectione depromerem , auctoribuſve σύγχρονοις , *vel ex eruditis M. S. probe excuſſis excerperem. Quandoquidem non piguit temporis, ac operæ plurimum impendiſſe ſordis, ac non indecori pulveris patientiſſimum in pervolutandis Regiis Tabulariis, nempe ad id , ut non alibi compertum ex ſequioris ævi diplomatibus, & publicis inſtrumentis extundere ſatis eſſem. Attigi leviter quibus cauſſis impulſus, & quo labore perfunctus vitam hanc contexere ſtuduerim : licebit poſtremo bene mihi ominari de hac qualicumque opella, ex qua ſi minus gloriæ, gratiæ non parum (quod maximis in lucris ponam) apud cives meos aſſecuturum reor.*



Rev. D. Julius Laurentius Selvaghius S. Th. Professor , & Archiep. Ac. Socius revideat , & in scriptis referat . Neapoli die 28. *mensis Martii* 1761.

I. Episc. Philadel. Vic. Gen.

Joseph Sparanus Can. Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Celebriora qua facra qua profana litteratae Antiquitatis monumenta ftudiofe perfequi femper maxima in laude pofuit doctorum hominum exiftimatio : tum vero de patriis potiffimum five originibus, five praecipuis Hiftoriae capitibus commentari; praefertim ubi ex tenebris , ac fqualore vetuftatis excitentur , judicioque acri , & adcurato expendantur , atque inftaurentur , longe omnium praeclariffimum autumo . Atqui utrumque iftuc praeftitit eruditiffimus juvenis Robertus de Sarno Congregationis Oratorii Neap. Sacerdos . Namque & aliquot abhinc annis binas edidit numeris omnibus abfolutas differtationes ; in quarum altera Ariftaeanam de LXXVIRALI Interpretatione Hiftoriam erudite excutit ; in altera vero de Haerefi Praedeftinariana edifferit: quae Romanis typis excufae non fine maximo litteratae caveae plaufu circumferuntur . Tum vero nuper Jo: Joviani Pontani Vitam improbo fane labore ex abditiffimis , iifdemque graviffimis monumentis collegit , quam germana latini fermonis integritate eleganter confcriptam publicae ufurae modo concredere poftulat . Egregium fane Opus, quod quum Eminentia Tua jubente avide quidem , nec fine magna animi voluptate perlegerim , typis in publicum quantocitius committendum cenfeo : quandoquidem non ego quicquam in eo offendi Fidei, atque Ethicae Chriftianae adverfum . Optandum fane , ut eruditus juvenis nihil reliqui faciat , quo minus ingenii fui felicitate Pontanianæ Academiæ hiftoriam, quam fpondet , brevi edat:

quod

quod sane si praestiterit de publica re litteraria plurimum merebitur. Neapoli XIII. Kal. Jun. CIƆIƆCCLXI.

Eminentiae Tuae

Humillimus, devotissimus, obsequentissimus
Julius Laurentius Selvaghius.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum Neap. die 20. *Maii* 1761.

I. EPISC. PHILADELP. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

Mag. Doctor D. Franciscus Seraus in hac Studiorum Universitate Professor Primarius revideat, & in scriptis referat. Datum Neapoli die 13. *Augusti* 1761.

NICOLAVS DE ROSA EPISCOPVS PVTEOL. CAP. MAJ

VITA Joannis Joviani Pontani a P. Roberto de Sarno Congregationis Oratorii Presbytero edita commendatissima esse debet cum ab Auctoris exquisita diligentia in eruendis colligendisque monumentis ad rem facientibus, tum a praestantia celebritateque ejus hominis, in quo doctrina, eruditio, ingenium, humanitas, fortuna demum ipsa impense emicuerunt. Id commentarium nihil habet Regiis publicisve juribus adversum; ideoque imprimi posse censeo.
Neapoli VII. Idus Septembres MDCCLXI.

Francifcus Seraus Professor Regius.

Die

Die 22. mensis Septembris 1761.

Viso rescripto Suæ Regalis Majestatis sub die 18. *currentis mensis*, *& anni*, *relatione facta per Mag. Doctorem D. Franciscum Seraum de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majestatis*.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, *decernit*, *atque mandat*, *quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli*, *ac approbationis dicti Revisoris*; *verum in publicatione servetur Regia Pragmatica*. *Hoc suum*.

ROMANUS Præses.

FRAGGIANNI. GAETA. SGASSA.

Reg. f. 91. *a ter.*
Carulli.

Athanasius.

JOAN-





Franc. La Marra Neap. delin. et incidit.



JOANNIS JOVIANI PONTANI
V I T A.



Oannes Pontanus (*a*) Jacobi filius natus est Cereti (*b*) in Umbria anno 1426. mense Decembri, & fortasse a. d. VI. Kal. Jan. (*c*). Majores ejus pulsi e patria ob civium seditiones fuere

(a) Ex brevissimo Tristani Caraccioli MS. quod exstat in bibliotheca Marchionis Matthaei de Sarno parentis mei, & in fine hujus libelli typis edendum spondeo, erui majores Joannis cognomen Pontani accepisse ex eo, quod e patria pulsi ob civiles discordias Pontum, qui parum distat a Cereto, confugerunt. Ex hujus viri sententia quisque objicere merito posset Pontani gentem olim aliud siquidem cognomentum obtinuisse: sed in hac temporum caligine quisnam de hoc aliquid certi in medium afferre queat, cum ne vola quidem, aut vestigium apud scriptores?

(b) Benedictus Varchius in *Herculano* pag. 144. asserit Pontanum Hispelli, Tristanus autem Caracciolus in MS. Ponti ortum fuisse: sed satius duxi adstipulari viris praestantissimis, nimirum Gerardo Joan. Vossio *de Historicis Latin.* lib. III. pag. 607. Lugd. Batav. 1651. Paullo Jovio *Elog. Virorum litteris illustr.* pag. 60. Basileae 1677. Henrico Wharton in *Append. ad histor. litter. Guilelmi Cave* pag. 187. Londin. 1689. qui scribunt patriam Joannis fuisse Ceretum, atque in hujusmodi sententiam ceteri etiam scriptores pedibus ivere: a priscis usque tempestatibus pugnatum est de maximorum virorum patria, quo non unae civitates sibi ab ipsis famae plurimum emendicarent.

Ceretum, quod & Ceratae, *Cereto* vulgo, castrum Umbriae ad Neram fluv. propter radices Apennini montis, & in confinio agri Anconitani 15. mill. pass. a Nursia in occasum, Spoletum versus 12. Qui plura de Cereto desiderat, adeat Leandrum Alberti Bononiensem in descriptione totius Italiae post pag. 93. Venet. 1631. Italice edita, praeter Baudrand, & Martynerium.

(c) Initis temporum rationibus natalitium Joannis Pontani tempus praefigo ann. 1426. re a me bene pensitata revolvente Pontani dialogum inscri-

re, inter quos exarserunt deterrima dissidia, ita ut in partes scissi mutuis odiis, atque intestinis discordiis perciti ad sævitiem obduruerint, & interneciones anhelarint (*a*). Ja-

inscriptum *Asinus* tom. 2. pag. 178. Venet. in ædib. Ald. mense Junio anno 1518. tom. 3. ubi verba facit Pontanus de fœdere inter Innocentium VIII. Sum. Pontif. & Ferdinandum I. Neapolitanorum Regem icto, quod procul dubio contigit anno 1486. ibique semet ipse *sexagenarium hominem* fatetur.

At quonam mense prodierit in lucem Joannes, exprompsimus ab operibus Alexandri ab Alexandro *Dierum Genialium* lib. I. cap. 1. Lugdu. Batav. 1673. *Forte autem*, inquit, *cum natalis sui diem annuum Decembrio mense, ut solebat* (Pontanus) *cum amicis celebrare vult, evenit, ut & nos una cum reliquis mihi conjunctissimis primis ab eo tenebris acciti apud eum conveniremus*. Lætor me etiam diem divinasse; nam *Joannes* ei nomen inditum, ac Ædem præclarissimam Evangelistæ Joanni ipse sacraverat, cujus sollemnis dies VI. Kal. Jan. addictus est.

(a) Isthæc siquidem dissidia legere est in operibus Pontani lib. *de Immanitate* tom. 1. post pag. 319., quæ graphice, ac diserte more suo describit: *Aviam meam Leonardam, rarissimi exempli matronam, non sine multis lacrymis puer audiebam referentem, cum inter digladiantes quasdam inter se familias inimicitiæ summis exercerentur odiis, captum quempiam factione ex altera, eumque e vestigio concisum in minutissima etiam frusta, moxque exemptum illi jecur in prunis, candentissimisque carbonibus ab factionis ejus principibus tostum, perque buccellas minutim dissectum, inter cognatos ad id invitatos in jentaculum distributum. Quæ aut luporum tam exanhelata rabies, aut sævientis pro erepta prole tigridis hanc ipsam superaverit? Allata etiam post degustationem tam exsecrabilem pocula non sine collecti cruoris aspergine. Congratulationes habitæ inter se, risus, joci, leporesque cibum ipsum condientes. Denique & Diis ipsis propinatum, tantæ vindictæ fautoribus. Quod hic exclamem, nihil habeo, ni forte immaniora his, & ab natura hominis alieniora subjunxerim. Majores mei pulsi patria, domesticas ob seditiones, munitionem sibi constituerant in agro, ac solo proprio, turrimque ibi ex lapide ædificaverant, qua munita, uxores, liberos, remque familiarem omnem ibidem tuebantur. Indeque adversarios & suis, & clientum, atque amicorum opibus infensius lacessebant. Forte accidit, quod tunc res sic ferebant, ut sociis ab hostibus suis graviter oppressis viri suppetias ferrent paucis præsidiariis, cum mulieribus, ac parvis liberis relictis, qui munitionibus, ac turri præsidio essent. Hoc comperto,* ad-

Jacobus pater, qui matrem habuit Cæciliam (*a*), & generis splendore, & munerum fama maxime floruit: etenim, præter oris gratiam, eloquentiam in ipso commendat filius, eumque ait honore togæ, & rei militaris virtute etiam præcelluisse (*b*). Is uxorem duxit

adversarii summis conatibus munitiones repente aggressi eas per vim capiunt, ac propugnatoribus cæsis, turrim aggrediuntur. Proavia ibi mea duobus cum parvis liberis se tuebatur. Accedunt germani fratres, factionis alterius principes, hortantur, deditionem uti faciat: illa deditionem pollicetur, incolumibus tamen, ac salvis infantulis. Negatur a fratribus conditio. Res a gladiis, ac sagittis ad incendium venit. Ibi infelix matrona, quamquam supra sexum fortissimo pectore, in abditiorem sese locum includens cum utroque filiolo, fumo, ac flammis enecta exuritur, caruitque fraternam ob impietatem, factionisque immanes animos sepulcro. Quorum ego puer cineres, siqui reliqui esse poterant, collectos, Christiana matre id procurante, per eos, qui tunc aderant, clientes in sanctum ferendos, ac collocandos curavi. Quamvis autem domesticum hoc factum tacendum fortasse satius fuisse videatur, fateri tamen liceat, ut Aurienta proavia mea nihil muliebri in sexu ætas illa fortius, atque in liberos suos indulgentius vidit, ita nihil ejus fratribus fuisse exsecrabilius, aut humana ab natura diversius, quin in sanguinem suum ipsum nihil prorsus perniciosius, magisque truculentum, atque efferatum.

(a) *Pax umbræ, requiesque urnæ, quæ contegit umbram,*
Thura adolete, sacri spargite fontis aquam.
Salve avia, æternumque vale: cape grata nepotis
Munera, nec lacrymas sperne, nec inferias.
Cæcilia, & tibi sit tellus levis, & fluat urna
Ambrosia, ambrosius stillet & usque liquor.
Et tibi perpetuum spiret ver, servet & urnam,
Quam tu servasti cum pietate, fides.

Lib. II. *Tumulorum* pag. 3403. Basil. an. 1556. tom. I.

(b) Clarissime id eruitur ex tumulo, quem Pontanus paravit patris memoriæ. Ibid. pag. 3408.

In tumulo situs est vatis pater: hoc satis esset,
Sed pater ipse suis laudibus auctus erat.
Cui gentilis honor, cui linguæ ornatus, & oris,
Atque togæ, atque hastæ cui vel utrumque decus.
Non est, quod tumulo exoptes: cælum ille petivit:
Sed venerare piis ossa reposta locis.

xit nomine Christianam (*a*) ab Leonarda Pontana ortam (*b*), ex qua Joannem procreavit, qui ærumnis plena, atque admodum dura usus est prima æta-

Ante diem rapuit Jacobum mors: filius illi
Infans, quæ nequit, dat modo justa senex.
(a) Pontanus ad feretrum Christianæ matris pag. 3409.
Has te ego ad inferias, mater, voco: tu mea mater,
Accipe cum fletu munera mixta suo.
Te natus vocat ad feretrum: tu munera nati
Accipe, & has lacrymas accipe, & hos gemitus.
Quid natum, mater, fraudas spe? nec mihi flenti
Eximis aut lacrymas, eximis aut gemitus?
O dulces matris vultus, o mollia corda!
Mater adest, matrem jam peto, jam teneo.
Jam ridet nato mater, jam brachia tendit:
Jam teneo amplexus, ipse ego jam teneor.
Heu natum mater, natum fugit immemor! heu nil
Ipsi, nisi manes, & levis umbra sumus!
(b) Tumulus Leonardæ Pontanæ, aviæ maternæ.
Viator, & Genius colloquuntur pag. 3402.
Dî manes salvete: an quas hic conditis umbras?
Salve hospes: Sanctam condimus hic animam.
Quis titulus? Leonarda jacet Pontana sepulcro,
Post centum ac denas conditur hic segetes.
Custodes quis vos statuit? Probitasque, Pudorque
Constituit tumulos, an Dea? constituit.
Relligio tumulos statuit: juvere puellæ
Pierides, quoniam cura nepotis erat.
Tu requiem cineri optato, sic fata quiescant
Et tua. Vis ne aliud? Jamque valete, abeo.
Hæc quamvis maxima natu salubriora quæque instillare tenellulo ejus pectori satagebat: *Avia nostra materna*, Pontanus *de Liberalitate* post pag. 103. *probatissima femina referre nobis pueris in admonitionibus solebat exemplum post magnopere divulgatum. Locupletem mulierem, unicum cum haberet filium, eumque patre orbatum, ita illum a teneris educasse annis usque ad adolescentiæ florem, ut ipsa indulgente amplum patrimonium turpissimis artibus ante vicesimum annum absumptum, ac dissipatum ab illo fuerit. Adolescentem, cum egere cœpisset, assuesse rapere, furari, jusjurandum vendere. Captum autem a Prætore, cum ad supplicium duceretur, impetrasse, ut sibi matrem sine teste alloqui in via liceret, quæ ubi aurem filio admovisset,*

ætate : etenim incidit in ea infesta tempora, quibus adhucdum efferata illa animorum divortia vigebant.

visset, tum illum mordicus matris nasum apprehensum avulsisse dentibus, atque in humum exspuisse exclamantem : Sit hoc, cives, pretium maternæ educationis. Discant igitur matres aliæ liberos suos bonis artibus educare. Non Prætor, inquit, sed mater me mea ducit ad supplicium.

Binos alios tumulos reperio apud Pontanum pag. 3403. 3408. quorum prior dicatus Materteræ, alter Sorori.

Tumulus Nellæ Materteræ.

Nec patria profugus puer, exsutusque bonorum,
Nella, tibi aut tumulos, aut pia justa dedi.
Nec pro blanditiis lacrymas, pro munere vitæ
Mortis dona tuo persolui cineri.
Nella, vel affectus matris, vel munus obibas,
Nulla mihi nutrix, Nellaque mater eras :
Nunc procul a patria senior jam dona feretri,
Et justa, & cineri debita persoluo,
Æternum mihi, Nella, vale, ac requiesce sepulcro,
Et valeant cineres, & mihi mater ave.

Tumulus Penthesileæ Sororis.

Septennem te fata, soror, rapuere parenti,
Dum tener in cunis ubere matris alor.
Non sensi tua fata, tamen consueta petebam
Oscula, consuetos blanda per ora modos.
Sæpe sinum, dulceisque jocos, tenerosque cachinnos,
Et vultum, & gratis illita verba sonis.
Sæpe etiam lacrymis, quod abes, & voce querebar,
In somnis etiam sæpe petita mihi.
Et risi, quod ades, flevi, quod abire parabas,
Uberaque ex ipso reppulit ore dolor.
Senserat hoc nutrix, fingit vocem ipsa sororis.
Admovit repetens ubera ad ora mihi.
Non potui soror in cunis præstare sepultæ,
Nunc titulum, & lacrymas, verbaque fratris habe.
Sparge, puer, viola tumulum : diffundite nardum,
Fumet odorato myrrhaque, thusque rogo.
Accipeque & lacrymas fratris, soror, accipe questus,
Atque etiam, atque etiam, Penthesilea, vale.

Præter hanc sororem, aliam habuit Joannes Pontanus, cujus nomen latet, qua de ait in *de Liberalitate* tom. 1. pag. 105. *Nos ipsi tametsi tenues homunciones, licet inter tantos viros, qui numeremur indigni*

bant (*a*). Hac in seditione pater interficitur (*b*); at sedula matris cura, quæ quatuor, & viginti annos orbata viro fuit (*c*), ab insidiis, atque adversarum partium immanitate subreptus Joannes Perusium confugit (*d*). Hac in urbe prima litterarum lineamenta duxit (*e*) sub perquam optimæ Matris sollertia, quæ inter cetera ei recte casteque loquendi normas, præter morum honestatem, tradere adlaborabat (*f*). Grammati-

digni, prædiorum, fortunarumque avitarum, totiusque paternæ rei usum, atque possessionem sorori nostræ permisimus, contenti bonis iis, quæ Neapoli, atque in Campania labore, industriaque nostra comparassemus.

(a) Pontanus *de Liberalitate* tom. 1. pag. 109.

(b) Ne verbum quidem ullum reperire est in Pontani operibus de patre interfecto, attamen non e re esse putavi adhærere opinioni cl. viror. Tristani Caraccioli in MS. Paulli Jovii *Elog. Viror. litteris illustr.* pag. 60. Gerardi Vossii *de Historicis Latin.* lib. III. pag. 607. & Henrici Wharton *in Append. ad Histor. Litter. Guilelmi Cave* pag. 187.

(c) Pontanus lib. III. *de Obedientia* tom. 1. pag. 22.

(d) Tristanus Caracciolus in MS.

(e) Pontanus lib. V. *de Sermone* tom. 2. pag. 238. Tristanus Caracciolus ibidem.

Scholæ Perusinæ, in primis Academia, humanioribus litteris, atque omnium disciplinarum studiis semper floruere: videsis præ ceteris Ughellium in Append. tom. 1. pag. 67. Romæ 1644. & Jacobum Middendorpium *de Academiis universi terrarum orbis* lib. III. pag. 468. Coloniæ 1583.

(f) Talia feræ posteritati mandat Pontanus Lib. II. *Tumulor.* pag. 3409. ob grati animi significationem in matrem, cujus in sinu, & indulgentia optime educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam transegit.

Tumulus Christianæ matris.

Optabunt tibi, Christiana, Musæ
Ad bustum bene, nec mihi negabunt
Ad matris tumulos adesse flenti.
Hos, lactis precium tibi quotannis,
Ex voto lacrymas, parens, dicamus.
Hos questus tibi pro labore, & æstu,
Pro puerperii damus dolore,
Pro casta simul institutione,

Pro

maticam doctus ab Vido Thrasimeno, quem ipse *apprime excultum* salutat, deque ejus valetudine rem sane novam, ac lepidam memoriæ tradit (*a*). Sed mater Christiana de parva Pontani ætate, ejusque institutione studiosa ac sollicita, cum sciret quotidie ceteris condiscipulis palmam eripere, prudenti sane consilio hilares muliebres motus virili quadam fortitudine comprimebat, & simulatione decora non extollere puerum coram adamabat, sed magis magisque cohortabatur filium ad perdiscenda grammatices præcepta (*b*). Atque isthæc studiorum semina tamquam in bonum solum injecta continuo lætissimam emittebant

Pro linguæ studiis, bonique cultu,
Et desiderium tui perenne,
Et suspiria pectoris vovemus
Cum luctu, gemitu, dolore, & æstu.
Nec Musæ numeros negant querenti,
Quod vivis bene, quod Deos vereris,
Quod castum colis, & probas modesta.
Hinc te Pierides puellæ amarunt,
Amavit Dea, virginum magistra,
Atque hinc te ad socios choros vocarunt,
Inter quos agis, & beata ludis.

(a) In Pontani operibus *de rebus Cælestibus* tom. 3. lib. VIII. post pag. 227. isthæc leguntur: *Vidus Thrasimenus grammaticus apprime excultus, qua tempestate illum audiebam, narrare solebat, graviterque etiam queri, se supra quatuor ac viginti annos quartana continenter laborasse, etsi continentissimis erat moribus, summaque sobrietate*: & *de Sermone* tom.2. pag.238. *Vidus grammaticus, quem ego adolescentulus Perusiæ audivi, senem jam retinentem tamen dignitatem institutore dignam*. De ceteris Joannis præceptoribus nihil in medium afferre audeo, nec aliquid ab scriptoribus, atque MSS. colligere satis fui.

(b) Pontanus lib. VI. *de Sermone* tom. 2. pag. 248. *Mater mea Christiana de me admodum puero cum esset sollicita, sciretque me assiduum agere apud grammaticum, primasque ferre inter condiscipulos partes, nec laudare coram vellet, alibi his adoriebatur: Quid, o fili, de te audio? quod hodie superatus e ludo discesseris in themate Latinis verbis explicando: alibi, at ego mellitum tibi edulium paraveram, quod sperarem te victorem litteraria e concertatione rediturum,*

bant frugem : in eoque ætatis flore mira ingenii celeritas, & ubertas prodibat, lateque fulgebat erectæ virtutis indoles, ita ut, quanta luce, ac fama gentilem, & domesticam gloriam esset cumulaturus, quisque jam portenderet (*a*).

In patriam iterum sese recepit, necdum sedatis rebus, & dum clandestina non adhuc odia consenuerant. Inde, rei familiaris jactura facta, tot tantisque periculis, ac inopinatis casibus perterritus longe a patria denuo peregrinari cogitur. Sed ad satis audax incœptum non sine magna ingenii laude, quod

rum, redis victus? Quod igitur tibi paraveram, ad eum sum, qui te vicit, missura. His igitur, atque aliis mater gaudium dissimulabat, dum laudare puerum me coram omnino defugit, Socraticamque per dissimulationem hortabatur ad perdiscendas litteras. Ibidem pag. 241. *Narrare quoque solita est Christiana mater, cum noctu adolescentulus lectitarem ad candelam, exstitisse patrem familias, cui gemini essent filii, morientemque illum, tum supellectilem multam illis reliquisse, tum olei non mediocrem summam, quo nocturna uterentur ad opera, tenebrasque evigilandas; alterum itaque ex iis in conviviis, ac cœnis oleum consumpsisse, exque eo brevi in inopiam redactum: alterum vero dedisse operam litteris, oleoque nocturnis in lectionibus usus quum esset, pervenisse ex eo ad summas divitias; cœptum igitur cantari per urbem de utroque hujuscemodi carmen: HIC OLEUM, ET SE PERDIT, DUM AD CANDELAS COENITAT: ILLE ARCAM, ET SE DITAT, DUM AD LUCERNAS LECTITAT. Ejusmodi igitur fabellæ cum sint ad bonos mores institutæ, atque ad recreandos animos, & delectare debent, & prodesse.* Quanto novam, liberalemque ingenii artem mater excogitarat, qua institueret filium ad gloriam omni quidem ævo duraturam! Exemplum dives, quod utinam hujus inficeti sæculi parentes sectentur.

(a) Haud ambigere quimus, quin Pontani familia & antiquitate generis, & majorum gloria floruerit: vide inter alios, quos hic brevitatis ergo posthabere pretium est, Petrum Summontium *Epist. prælim.* lib.I. *de Prudentia* tom. I. post pag. 146. & Henricum Wharton loc. paullo ante recit. Hæc enim familia illustrium Heroum feracitate perquam illustris; inter horum album Ludovicus Pontanus merito accensendus, sui temporis Jurisconsultorum alpha, qui diem obiit, cum adesset concilio Basileæ ann. 1439. habi-

quod ad majora adolescentem urgebat, perficiendum aggredi constituit. Joannes enim ad Alphonsum Neapolitanorum Regem in Etruriam adversus Florentinos bella gerentem iter perrexit, quem inaudiverat ingeniorum æstimatorem, & litterarum tutelam (*a*); quocum non multo post Neapolim venit (*b*). Ipse mox in gravem morbum incidit; verum Julius Fortis Messanensis (*c*), qui ab Alphonsi Regis censu, & a ra-

habito, & Octavius, sive Octavianus Pontanus, qui legatus missus est Basileam Summo Pont. Pio II. atque denatus ann. 1460. qui, si plus vitæ datum esset, in amplissimum Cardinalium collegium cooptatus fuisset, hujus rei fundum do Apostolum Zenum in *Vossian. Dissertationibus* Italice conscriptis tom.2. pag.174. Venet. 1753.

(a) Ubique gentium Alphonsi nomen de litteris optime merentis incaluerat, ad quem ea fortasse fama ductus se contulit adolescens: *Alphonsus*, Pontanus *de Liberalitate* tom. 1. post pag. 109. *adolescentulos quosdam cum intellexisset ob parentum inopiam, quibus cœperant disciplinis continuare operam non posse, eos in Galliam ulteriorem Parisios misit, pecunia statuta, quæ illis suo ex ærario suppeditaretur. Patrum, avorumque memoriæ clari quidam viri, alii Perusiæ, alii Paduæ prædia ab se empta gymnasiis dedicaverunt, e quorum fortunis paupertas adolescentium sustentaretur, qui philosophiæ, aut civilis juris cognitioni operam darent. Nam aut beneficentius, aut utilius excogitari liberalitatis genus potuit? Hoc autem quid est aliud, quam dare operam, ut multi semper sint, qui rerum civilium, ac naturæ perscrutationi vacent? quam nolle pati ob ignorantiam rerum cognitione dignarum caligare respublicas?*

(b) Falsus est hic Tristanus Caracciolus, dum in MS. scribit: *Venit ergo ad nos pene adolescens tenuissima in re a Perusio*; longe enim diversa habentur apud Pontanum lib.I. *de Prudentia* tom. 1. pag. 166. *Adolescentulus patria cedens propter civiles dissensiones, magna rei domesticæ jactura facta, ob adversariorum impotentiam ad Alphonsum me Regem in Etruriam contuli adversus Florentinos bellum gerentem, & cum illo haud multo post Neapolim*. A Perusio ergo Pontanus in patriam remigravit. At quonam anno ad nos venit, neutiquam exploratum est; aperte tamen constat non ante primum & vigesimum ejus ætatis annum; prælium enim inter Alphonsum, & Florentinos contigit ann. 1447. Ammiratus *hi stor. Florent.* Italice scripta lib.XXII. tom.2. p.2. pag.53. Florent. 1641.

(c) Pontanus tamen in *de Liberalitate* tom. 1. pag. 109. habet, *Mas-*

a rationibus erat, adeo Pontanum coluit, ac tutatus est, ut adolescentulo, cui angustior supellex tunc erat, eo quod ingenium dives, ac erectam indolem ad maxima quæque pronam demirabatur, omnem opem, ac pecunias suffecerit: hinc fortunam, quam deinde subiit amplissimam, magnam partem Julio acceptam referre opus est (*a*).

Eadem tempestate Antonius cognomento Panormita floruit (*b*), vir præcellentis ingenii, consiliique, quare apud Regem Alphonsum gratia, & dignitate pollebat plurima, qui utpote bonarum artium, & litterarum amantissimus, Pontani indolis felicitate illectus est, & nativa potissimum in pangendis versibus gratia, quibus mirum in modum Panormita delectabatur: & jam tum, quantus futurus esset vates Joannes, augurabatur; quare apud eruditissimos viros se in eo egregiæ virtutis semina intueri sæpe prædicabat. Quo

Massanensis, at typographi noxa factum: legendum est enim *Messanensis*; sane Caracciolus de Julio Forte in MS. affirmat: *Cum esset Siculus, ejusdemque Antonii* (Panormitæ) *conterraneus*.

(a) Pontanus *de Liberalitate* tom. I. pag. 109. *Adolescentes quoque, quorum angustiores sunt res, & in quibus ingenii vis, & indoles aliqua ad virtutem prælucet, pecuniis sustentare vel in primis commendandum videtur. Quid enim vel privatim beneficentius fieri potest, quam vadentem ad virtutes viatico suo juvare? aut publice utilius, quam sua pecunia, suaque opera id præstare, ne naturæ bona hominum ope destituta pereant?*

(b) *Antonius Bononia*, verba sunt Mongitoris in *Bibliotheca Sicula* tom. I. pag. 55. Panormi 1708. *passim Antonius Panormita dictus, ex nobilissima Beccadelli familia ortus, quam Panormi Bononiam dicimus, ex quo e Bononiensi urbe originem traxit: antonomastice Panormita vocatus a patria Panormo, ubi natus, quod innumeri testantur auctores*. Reliqua, quæ ad Panormitam pertinent, libens prætereo, nam carissimus ex fratribus meis germanis primus Andreas brevi publica luce donabit *Antonii Panormitæ Vitam*.

Quo factum est, ut Julius Fortis, qui Pontano indigenti alias benigne fecerat, hortatu Panormitæ penes se detinuerit, eique munifice vestes, victumque præbuerit (*a*). Inde nobilis inter æquales cœpit ferri, & longe clarius exsplendescere, quam ceteri æquo animo tolerare possent, nam tantam artium bonarum studiis præstitit operam, *ut annos natus vix quatuor & viginti, etiam inter senes, eosque, qui in litteris consenuerant, judicaretur excellere* (*b*).

Interim Alphonsus Rex an.1451. ad Venetorum Senatum oratorem misit Panormitam, qui itineris comitem Pontanum adhuc ætate florentem (*c*), annos nimirum quinque & viginti natum sibi adjunxit. Hujus legationis finis subdubius, an cum Venetis fœdus feriendi gratia, an Liviani corporis partem ab eisdem efflagitandi, cujus Historici amore Rex mire æstuabat. Joannes

(a) Procul dubio longe a vero abludit Tristanus Caracciolus dum adstruit cura, & opera Panormitæ in amicitiam Fortis Pontanum venisse, cum statim ac Neapolim advenit, Julio Forti innotuerit, quin in sat affectissima valetudine ab eo opem ac suppetias habuit: perquam aperta sunt Pontani verba *de Liberalitate* tom.1. pag.109. *Neapolim cum venissem, gravi morbo correptus, ita quidem a Julio Forte Messanensi, qui Alphonsi Regis censui, rationibusque præpositus erat, adjutus, ac sublevatus sum, &c.* Jure igitur in animum induxi, ut scriberem: *Quo factum est, &c.*

(b) Pontanus *de Prudentia* tom. 1. pag. 166.

(c) Tristanus Caracciolus, qui hæc narrat, minime tradit, qua potiori ex causa ad Venetos legatus fuerit Ant. Panormita. Credat quivis, non ego, Panormitanæ legationis causam, ut Livii corporis λείψανον a Venetis exposceret, quamquam hoc commentum nitatur duorum virorum testimonio: quorum alter est Philippus Thomasinus in *T. Livii vita* pag. 72. Amstelæd. 1670. ubi asserit Alphonsum Regem ad Venetos misisse Panormitam, quos verbis suis deposceret T.Livii corporis partem, eumque Patavinos cives brachio Romani Historici donasse, quod honorifice a Rege acceptum fuit; at dum animo meditabatur exstruere regia munificentia cimeliarchium, diem obiisse, & brachium acquisivisse Panormitam, quod deinceps Ponta-

nes ubique civitatum, quas adibat, ingentem eruditionis, ac doctrinæ famam colligebat, eratque ob suavissimam animi indolem perquam omnibus gratus, quin in dies, longeque gentium inclaruit Pontani nomen : quod statim Florentiam urbem, quam ob ingenuarum artium domicilium Italiæ Athenas dixeris, pervolavit, atque omnium civium ore Pontani laudes publice, privatimque effundebantur : cum primis Cosma Medi-

ces

num sibi comparasse, ab eoque compositum in urnula, & hac inscriptione decoratum : T. LIVII HISTORICI BRACHIUM QUOD OLIM ANTONIUS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT JO. JOVIANUS PONTANUS MULTOS POST ANNOS CONDIDIT. Alter Laurentius Schraderus Halberstadien. Saxon. in lib. *Monumentorum Italiæ, quæ hoc nostro sæculo, & a Christianis posita sunt*, post pag. 231. Helmæstad. 1592. libentissime adstruit se *αὐτόπτην* in sacra Pontani æde hanc ipsam epigraphen legisse, at extrema verba parum immutata profert, MULTOS POST ANNOS HOC IN LOCO PONENDUM CURAVIT. Verum horum exterorum scriptorum biga facile sibi imponi passa est, & quantis eorum opinio urgeatur difficultatibus, (ne eam turpi mendacio incusem,) cuique dignoscere proclive est, ac expeditum ; multus essem, si tantæ hallucinationis argumenta attexerem ; sed isthæc meus germanus *in vita Antonii Panormitæ* me monuit se collegisse, queis porro exploderet hanc fabellam.

Ceterum, præterquam quod nusquam suorum voluminum Pontanus hujus Liviani brachii commeminit, in hujus inscriptionis verbis nihil quidquam nativi Joannis nostri leporis inest, Antonius ipse Panormita in lib. *De dictis, & factis, &c.* licet bene multa aggerat de ingenti, perditoque studio Alphonsi Regis in Livium, atque in *epist. Campanarum* 45. ad eundem Regem Florentiæ scripta jam Veneta legatione functus, de Livii elegantissimo volumine, quod magno venibat, 120. *aureorum* scilicet pretio : in binis hisce laudatis locis, quod maxime intererat, miro silentio hoc de Livii brachio usus est. Sed cur his immoror, quando ipse Panormita legationis causam clare indicat, aperitque ? hæc enim habet *epist. Campanar.* 40. quam Alphonso Regi miserat : *Peracta sunt jam omnia, ni fallor, cum fide, & diligentia, quæ Venetiis, & alibi a me effici debuerunt ex mandato Celsitudinis tuæ. Perstat quidem Princeps iste, & Senatus in proposito suo, pacemque expetunt potius, quam bellum*. Idipsum ait alia in epistola ad Paschalem Venetorum Ducem, quæ legitur in volum. *epistolar. Regis Ferdinandi, & alior.*

pag.

ces (*a*), vir gravis annis, & auctoritate pollens, ob res etiam domi, militiæque gestas clarissimus, nec minori litterarum gloria nobilis, cum lectitasset Joannis versus, quos in Venetos luserat, asserere nil veritus est, hunc juvenem tantum famæ, ac laudis assecuturum, quantum ei merito post attribuit longa doctissimorum virorum posteritas. Cum autem a legatione Panormita Neapolim repetisset, Pontanum numquam a se dimisit, captus & humanitate viri., & doctrina, quem tanti faciebat, ut benigne volumen illud, *de dictis, & factis Alphonsi Regis Aragonum*, largitus sit (*b*). Præterea Panormita jam senior sciscitantibus amicis de re litteraria, ITE AD JOVIANUM, continuo reponebat (*c*). At

pag.310. *Hujuscemodi fœdus inter vos, & Alphonsum ictum est, me, & Ludovico Magistro Muntesiæ Oratoribus, ac Regiis Procuratoribus in ista præclarissima civitate vestra.*

(a) Male *Mediceus*, ut non pauci opinantur; *Medices*, & *Medicus* legitur apud Scriptores συγχρόνυς, quorum luculentiores editiones revolvere mihi cordi fuit. Aretinus præfatione in Dialog. *de præstantia sui ævi*, scribit, *Ad clarissimum virum Cosmam Medicem*; & pag.38. *Igitur ex Medicorum familia insigni Cosma Joannis filius ætate nostra vir admirabilis prodiit*; & Verinus poeta, dum agit de origine familiæ Medicorum, canit.

. . . . Ex Appennino, celsaque ex arce Magelli
Nobilitas Medicûm Thuscam descendit in urbem:

(b) Apostolus Zenus *Voss. dissertation.* tom. I. pag.307. verba refert MS. Petri Cennini: *Quisquis* (loquitur de opere Panormitæ) *hunc libellum aut viderit, aut legerit, sciat emendatum esse, atque ab eo suppletum, & transcriptum exemplari, quod Antonius ipse Panormita genere Siculus, operis auctor, dono dedit Joanni, seu potius Joviano, sic enim mavult appellari, Pontano Umbro viro doctissimo.*

(c) Pontanus *de Sermone* lib. VI. post pag. 247. *Antonius Panormita, qui obliteratam, nedum languescentem in Italia Poeticam restituit in antiquam pene formam; cum a studiosis persæpe hominibus de perveteri, dubitataque sive Poetæ aliqua, sive Oratoris interrogaretur sententia, quadam etiam cum frontis hilaritudine, ac si memoriæ diffideret, Ite* (*respondebat*) *ad Jovianum, adeo etiam senex, & primarius vir in Alphonsi Regis aula.*

At Pontanus his honorum ſignificationibus nil elati de ſemet cogitabat, ſed in amicorum conſuetudine, quibus florebat plurimis, eadem animi mente utebatur, juxta ac ſi eſſet iis ingenii dotibus, & ſummorum virorum gratia deſertiſſimus. Verum ejus familiariſſimi his moribus tanta moderatione temperatis tracti mutuis ſtudiis ipſum dignitatibus, atque honeſtiſſimis muneribus amplificandum allaborabant. Hinc factum, ut Maximus (*a*) Pontanum delegerit, quo ab epiſtolis uteretur: atque cum de ejus admiranda ingenii vi, virtutiſque præſtantia magis magiſque increbreſceret rumor, Antonius Ulcinius Celtiber, qui publicum munus (*b*) ab ſecretis epiſtolis explebat, Regi Alphonſo cum primis carus, earumdem ſcribendarum ſocium acciverit: mox omne muneris ſui opus lubens Pontano impoſuit, qui ejus officii partes ita exſequi curavit, ut propediem omnes ea in re longa experientia viros ſubactiſſimos ſuperaverit. Interea, ſi quid ſibi temporis ab ea officii cura ſuppeteret, ſtudiis litterarum impendebat; cum ſollemne ei eſſet effari, ſe *neſcire manum de tabula* (*c*). Neque ei dies occiderat, quin in ligata, vel ſoluta oratione aliquid ſcriberet; hinc harum lucubrationum Attica dulcedine eruditiſſimi quique omnes capti ad eum confluebant; atque ſæpe privatim inviſebant *enarrantem poetas, & hiſtoricos plerique decuriones, & nobilitatis principes viri* (*d*).

Ejus

(a) De *Maximo*; præter nomen, cetera nos omnino latent, cum id ſolummodo meminit Triſtanus Caracciolus: *In contubernium Maximi ab epiſtolis aſſiſti curarunt* (amici).

(b) Quodnam fuerit hujus Ulcinii munus, paucis hiſce verbis nobis aperit Triſtanus ibidem: *Reſcriptiones epiſtolarum, aliaque illi miniſterio decentia injungere perſeveravit* (Antonius Ulcinius Pontano).

(c) Lilius Gregorius Gyraldus *Dialog.* 1. *Poet. ſuorum tempor.* pag. 523. Lugd. Batav. *1696.*

(d) Triſtanus Caracciolus in MS.

Ejus doctrinæ celebritas eo increbuit, ut Alphonsus Rex sibi apprime consulere existimaverit, dum ex bene multis viris, quibus ætas illa florebat doctissimis, Pontanum optavit, qui Carolum Navarium (a) adolescentulum, fratris filium institueret, atque erudiret. In hujus aula Regis erat quidam Petrus Torilla, penes quem totius regiæ familiæ regimen, & potestas, Navarii adolescentis morum custos, & formator, vir sat tenax sententiæ, difficillimaque natura: at Pontanus perquam gnarus idonei ad agendum temporis, ad arbitrium istius asperrimi viri se effinxit, & sine ulla offensione summam illius benevolentiam studuit retinere. Sed an. 1458. Alphonso Rege e vivis sublato, necesse fuit, ut Navarius in Celtiberiam rediret, ubi ejus pater Joannes degebat. Præceptoris cura liber Pontanus animum applicuit ad conscribendarum epistolarum opus apud Antonium Ulcinium Celtiberum, quod non omnino interea temporis intermiserat: quin & in adventu Hippolytæ Sfortiæ, quæ Alphonsi Ducis Calabriæ uxor fuit, inter eos, qui a secretis epistolis erant, primas obtinuit. Atque Antonellus Petrucius (b), vir multiformis fortunæ, qui tunc apud Regem pollebat pluri-

(a) Miror maxime', cur Tristanus Navarium hunc in MS. Joannem appellarit, cum omnibus exploratum sit non Joannis, sed Caroli ei nomen inditum fuisse. Videsis Jacobum Wilhelmum Im-hof *Hist. Italiæ, & Hispaniæ genealogica* pag. 64. Norimbergæ 1701. & Chronica MSS. Italice lib. 8. in fin. quæ exstant in biblioth. Marchionis de Sarno parentis mei.

(b) Iste ex infima fortuna ad summum honorum gradum evectus fuit, quem *Principem divitiarum* appellare nil dubitat Panormita in *epist. ad Petrum Compatrem*, quæ exstat in vol. *epistolar. Regis Ferdinandi, & alior.* pag. 417. At demum ob Majestatis crimen capital fuit, eique collum ferro dissectum. Qui de Petrucio plura optat, Camillum Tutinum consulat in lib. *de Varietate Fortunæ* pag. 80. Italice conscripto.

rimum, & rerum ſummam, ac conſiliorum moderabatur, tanti Pontanum ducebat, ut in affatim arduis regni negotiis ejus mentis ſententiam expeteret, quam expeditiſſimam, ac ſapienter omnia explanata, ac ſaluberrima nanciſcebatur (*a*).

Ferdinandus Rex, qui & virtutis, & eruditionis Pontani tot argumenta jampridem perceperat, ac ingenium ad optima quæque paratiſſimum, (Panormitæ enim opera (*b*), qui ipſum ab adoleſcentia juvit, coluitque, hujus Principis domum adiit, atque gratiam demeritus eſt), Alphonſum ei inſtituendum tradidit, & in rerum adminiſtratione a ſecretis delegit (*c*); hoc enim magiſtro, ac duce filium procul dubio magnum fore Principem ſperabat pater. Hiſce binis ampliſſimis muniis in Regis aula Joannes floruit, quem jam perſpectiſſima ejus virtus ad honeſtiora decora urgebat, quæ quidem ipſe numquam appetiit, cum ei ultro paterent.

Sequenti anno bellum inter Joannem Andegavenſem, Regemque Ferdinandum Alphonſi filium exarſit: hic, eo quod Pontanum noverat vigilem, ſagacemque, ſecum in caſtra tulit: & quoniam ſollertiſſima ingenia, & ad maxima quæque nata quovis in munere valent, & vigent, ſicuti domi Joannes egregia virtutis ſpecimina dederat, ita militiæ partes ſuas ea ratione implevit, ut unus inter omnes emicuerit: quamquam, uti ipſe teſtatur, eo in bello graviſſimos labores, atque æru-

(a) Apud eundem Caracciolum iſthæc omnia.

(b) Henricus Wharton *in append. ad hiſtor. litter. Guilelmi Cave* pag. 187.

(c) Pontanus *de Fortitudine* lib.I. poſt pag. 49. Franciſcus Aſulanus in *epiſt. ad Averoldum Præſulem Polenſem*. Raphael Volaterranus *Paralipom.* lib. 38. poſt pag. 457. Baſileæ 1544. Henricus Wharton ibid. & Apoſtolus Zenus tom. 2. pag. 175.

ærumnas maximas perpessus sit (*a*), quas quidem vir summus, fortasse honestatis ergo, silentio præterit: in castris semper non parum probitatis, ac fidei desideratum est. Eo tempore in Trojæ Apuliæ urbis obsidione, militibus regiis captandæ prædæ intentis, nam hostes turpi fuga castra deseruerant, obsessi occasionem nacti clam eruptione facta, parum absuit, quin prælium restituerent: at Rex per Pontanum, quem secum ducebat, multa ab ducibus peragenda curavit; atque, restitutis ordinibus, impetum hostium fregit: utinam Jovianus, sicuti more suo tam acre bellum graphice descripsit, ita etiam ea consilia, easque curas nos edocuisset, quibus duces adjuvit, ac in illis arduis rebus consuluit (*b*). Sed non multo post, cum Arx Sancti Angeli juxta Sipontum se dedisset, missus est ab Rege cum præsidio Joannes, ut eamdem reciperet cum thesauris in ea servatis: atque Principis jussu in castris commoratus est, *quo ducibus adesset copiarum in administrandis rebus* (*c*). Et licet sæpius ab hostibus captus, ab eis tamen summis honoribus affectus est, ut ipse fatetur, atque dimissus (*d*). At, quod maxime mirum, inter armorum strepitum, si quid paullulum supererat temporis, scriptioni, aut litterarum studio impendebat (*e*), ita ut Musæ viderentur ejus caræ comites, ac subsequentes. Hujus belli historiam sex in libris intexuit, atque sine ulla gratiæ suspicione, aut simultatis res gestæ ornate narrantur, estque oratio, uti

(a) Pontanus *de Prudentia* lib.I. tom. 1. pag. 166.
(b) idem *de Bello Neapolitano lib.IV. pag.*298.
(c) idem ibid.lib.V. tom. 2. post pag. 307.
(d) idem *de Obedientia* lib. V. tom. 1. pag. 45.
(e) idem lib. I. *de Prudentia* tom. 1. pag. 166. ait. *Inter quæ tamen diutius versatus non pauca etiam scripsi.*

uti expetitur, tracta & fluens (*a*).

Cum revertisset Neapolim e castris Ferdinandus, adeo Pontanus increvit apud hunc Regem gratia, ut difficilioribus Regni negotiis explicandis ipsum præposuerit, perfectam quamdam maturitatem in ejus consiliis expertus. Sed, uti assolet, maximam fortunam, præsertim si non careat principis benevolentia, premi invidia, Alphonsus ægerrime ferebat patrem in ardua quaque re Pontani sagacitate uti; quare contra tantum virum accusationes, ne dicam contumelias, serere ausus est: at id facinus ingentem ejus animum haud flexit, at potius erexit: cumque illud munus recusandi æqua sibi ratio nondum videretur, majori diligentia, ac fide obire studuit famæ

(a) Pro re nata epistolam adnectam Petri Summontii, tom. 2. post pag. 251.

P. Summontius Reverendissimo, & Illustrissimo Francisco ex Picolhomineis Aragonio Bisinianensi Episcopo S.

Historiam belli Neapolitani, quod Ferdinandus Aragonius cum Joanne Andegaviensi quondam gessit, ad te nunc mitto, Antistes optime, ita quidem nondum omnino expolitam, ut scriptore ab ipso relictam invenio. Leges autem hic egregias gentis tuæ laudes, utque Maximorum Pontificum lumen, secundus ille Pius tuus, ut innumerabiles alias taceam virtutes, regna etiam integra parare amicis consueverit. Is enim, mortuo Alphonso Rege, cum tantam illam procerum, ac populorum a Ferdinando ejus filio defectionem, quæ sanctissimi patris æquitas erat, ferre jam non posset, ita Ferdinandi rebus favit, ut & bellum omne suis ipse præcipue auspiciis confecerit, & pacatum tandem ei tradiderit regnum. Quod vero ad historiæ fidem attinet, Pontanum scito singula hæc non rerum fama collegisse, non hinc, atque illinc emendicasse, sed interfuisse ipsum rebus fere omnibus. Nec est, quod miretur fortasse quispiam, novis eum agere interdum verbis, qualia sunt dignitatis illa, Comes, Marchio, Dux, Princeps, *ceteraque rerum, ac locorum hujus temporis nomina, cum explicari aliter res ipsæ non potuerint. Quam ille usurpationem licet necessario, atque consulto his temporibus ab ipso receptam, sæpe tamen, dum viveret, ut erat Latinitatis observantissimus, excusabat. Tu qua par est, in auctorem gratia munus hoc accipias, Pontanoque tuo, tuus enim dici jure potest, per quem tuum Picolhomineum genus, tum vero Rex*

famæ fuæ inserviens, ac reipublicæ commodis. Quoniam autem filii inelegantem indolem, patrisque indulgentiam noscitabat, in more ei erat dicere se contra criminationes illatas *maximum patronum* nactum esse: *quod Rex*, uti ipse de se narrat, *dictum vehementer admiratus*, *scire ab eo cum pertenderet*, *quinam is patronus esset*, PAUPERTATEM, *o Rex*, reposuit, *ea me adversus accusationes & tuebitur vestras*, *& liberum*, *absolutumque in judicio sistet* (*a*): quæ verba optarem, ut a quovis viro aulico sæpius revolverentur: interea demirabitur posteritas, quantum decus ea fidei integritate, ac frugalitate sibi quæsivit Pontanus.

Sed temporis ratio postulat, ut sermo instituatur de Pontani Academia, cujus ingens rumor orbem afflavit. Paucis ante annis Alphonsus I. Neapolitanorum Rex, de litteris maxime meritus, in animum induxerat in principe hac urbe Academiam (*b*) instituendi, in eamque præclara quæque virorum capita, qui gloriæ stimulis incitantur, invitandi: idque oneris Antonio Panormitæ imposuit. Regis optatis is benigne paruit, certatumque est ab undique gentium eruditissimis hominibus, quibus ætas illa ab ingeniis, ac virtute felix florebat, huic consociationi nomen dare: quos inter accensitus Pontanus, cum inter reliquos veluti grande sidus eluceret, paullo post primum locum obtinuit, &, adhuc vivo Panormita, omnium sociorum suffragiis Academiæ præficitur. Eo in munere sapientissimas con-

Rex magnus vobis affinitate conjunctus celebratur, debere ipse cum tuis nunquam desinas. Vale.

(a) Pontanus *de Magnanimitate* tom. I. post pag. 229.

(b) An isthæc Academia, post invectas bonas artes in Italiam, aut princeps fuerit, aut saltem inter primas accensenda, afferant alii, cum pigeat me ea de re quid certi eloqui, ne in patriam studio aliis civitatibus invidiam creem.

condidit leges (*a*), quibus tam illustris virorum cœtus (*b*), in dies augesceret, atque in longum ævum vigere posset; interque ea scita illud adnumerandum, ut collegæ novum, ac elegantius nomen sibi apponerent, qua-

(a) Bernardinus Tafurius in libello Italice conscripto *de scientiis, atque artibus, &c.* Neap. 1738. profert, quæ Antonius Galateus in epist. MS. ad Hieronymum Carbonem scripsit: *Academiam nostram, vivo adhuc illo sene Antonio Panormita, cui bonæ litteræ tantum debent, Pontanus legibus, ac institutis adornavit, & auxit.* Hinc falsus est Hyacinthus Christophorus, qui in anteloquio libelli *de Constructione Æquationum* adstruit, Academiam post Panormitæ obitum Pontanum alumnum instaurasse.

(b) Non tenue onus mihi subeundum fuit, quo Academicorum nomina colligerem, inque bonam seriem ad eorum memoriam & laudem dispescerem.

ANTONIUS PANORMITA ACADEMIÆ INSTITUTOR.
JOANNES PONTANUS ACADEMIÆ PRINCEPS.
Ægidius Viterbiensis, inde Cardinalis.
Alexander ab Alexandro patricius Neapolitanus.
Alphonsus Januarius Petri filius patricius Neap.
Andreas Contrarius Neap.
Andreas Matthæus Acquivivus Hadriensium Dux patricius Neap.
Angelus Colotius Bassus Æsinæ Urbis inde Episc. Nucerinus.
Antonius de Ferrariis vulgo Galateus Salentinus ex Galatanæ oppido.
Antonius Garlonius Allifarum dominus Neap.
Antonius Tebaldus Neap.
Aulus Pyrrus Cicada patricius Consentinus.
Bartholomæus Scala Florentinus.
Basilius Zanchius Bergomas.
Belysarius Acquivivus Neriti Dux Andreæ frater patricius Neap.
Chariteus, cujus nomen ignoratur Neap.
Ferdinandus Havalus Marchio Pescariæ patricius Neap.
Franciscus Ælius Marchesius Salernitanus.
Franciscus Puccius Florentinus.
Franciscus Pudericus Henrici filius patricius Neap.
Gabriel Altilius Lucanus postea Episcopus Policastrensis.
Henricus Pudericus patricius Neap.
Hieronymus Angerianus Neap.
Hieronymus Borgia Neap. inde Episcopus Massæ Lubrensis.
Hieronymus Carbo patricius Neap.
Hieronymus Scripandus patricius Neap. dehinc Cardinalis.
Jacobus Latomus Belgiensis. Ja-

quasi si ab ceterorum hominum multitudine sejuncti unis litteris , ac sapientiæ studiis vacarent : idque in causa fuit, ut ipse in posterum salutatus sit JOVIANUS, & Jacobus Sannazarius ACTIUS SYNCERUS , ceterique

Jacobus Sadoletus Mutinensis deinde Cardinalis.
Jacobus Sannazarius patricius Neap.
Janus Anysius Neap.
Joannes Albinus Venetus.
Joannes Cotta Veronensis.
Joannes Elysius Calentius Appulus ex Amphracta oppido.
Joannes Pardus Hispanus.
Joannes Pierius Valerianus Bellunensis.
Joannes Sangrius patricius Neap.
Junianus Maggius sive Majus Neap. Sannazarii præceptor.
Lucius Crassus Neap.
Ludovicus Montaltus Syracusanus.
M. Antonius Flaminius Forocorneliensis.
M. Antonius Michaelius Venetus.
Manilius Rhallus Græcus.
Marinus Tomacellus patricius Neap.
Maximus Corvinus Neap. inde Æserniensis Episcopus.
Michael Marullus Tarchaniota.
Nicolaus Grudius Rhotomagensis.
Paullus Prassicius patricius Atellanus.
Petrus Bembus Venetus inde Cardinalis.
Petrus Gravina Panormitanus Canonicus Neap.
Petrus Gulinus sive Compater Neap.
Petrus Jacobus Januarius patricius Neap.
Petrus Des Severinus patricius Neap.
Petrus Summontius Neap.
Rutilius Zeno Neap. deinceps Episcopus S.Marci.
Scipio Capycius patricius Neap.
Suardinus Suardus Bergomas.
Thomas Fuscus Neap. postea Episcopus Cymeliensis.
Tristanus Caracciolus patricius Neap.
Trojanus Cabanilius Montellæ Comes patricius Neap.

Hi sunt , quorum catalogum intexere allaboravi ex operibus Joannis Pontani in suis *Dialogis* , Jacobi Sannazarii Eleg. in *Maledicos* lib. I. Paulli Jovii *elog. Virorum litteris illustr.* Lilii Gregorii Gyraldi *Dialog. I. Poet. suorum tempor.* Hyacinthi Christophori ibid. Petri Jannonii tom.3. lib.28. pag. 474. 75. Neap. 1723. & quamvis haud ulla mentio apud laudatos scriptores de Aulo Pyrro

que alio etiam nomine donati (*a*). Peccarem ſane, ſi quoſdam elegantes Academicorum mores præterirem. Adlecti ſiquidem novi ſocii caput corona ex lauro cingebatur, & ejus nomen omnium votis in albo inſcribebatur: inde convivio excipiebant, laudum carminibus novum illud cognomentum honeſtabant, eodemque ſalutabant; indictaque ei lege, ut in unaquaque litteraria congreſſione ea laurea uteretur (*b*): hos ritus deinceps quoſdam etiam eruditorum cœtus aliis in urbibus imitatos eſſe legimus.

Locum, quo conveniebant hi ſelectiſſimi viri, in noſtræ hujus urbis parte celeberrima, atque in ipſis Pontanianis ædibus exſtitiſſe certo novimus, inibique porticus, horti amœ-

ro Cicada, attamen haud temere adnumeravi inter eos, qui Pontanianam Academiam adornarunt, fretus auctoritate doctiſ. Marchionis Salvatoris Spiritei lib. *de Scriptoribus Conſentinis* pag. 23. Neap. 1750. Italo ſermone elaborato. De hiſce viris Academicis, & de ipſa Academia hiſtoriam *σὺν Θεῷ* me daturum ſpondeo.

(a) Joannes Pontanus Neapoli, ac Pomponius Lætus Romæ primi fuere, qui excogitarunt ſollemnem morem nomina immutandi, qui adhibendus erat, cum quiſpiam inter doctiſſimorum hominum cœtum adſcribendus eſſet, uti refert Ludovicus Caſtelvetrius *in poeticæ Ariſtotelis expoſitione* Italice conſcripta pag. 198. & 99. Baſil. 1581. Haud piget, quæ apud Paullum Jovium *elog. Pomponii Læti* pag. 12. exſtant adjicere, qui ſcribit, hunc ritum ægre tuliſſe Paullum P. II. qui animum acuit in Pomponium, ſuoſque ſocios Platinam, & Callimachum, qui *veterum ingeniorum illuſtria nomina ſibi ipſis indiderant, quum in cœtu ſodalium laureati Muſas colerent. Qua novitate nominum Pontifex ... vehementer offendebatur, quaſi id eſſet occulta conjurantium teſſera ad obeundum inſigne facinus. Quin e Venetiis Romam pertractus Lætus ad dicendam cauſam fuit.* Qui plura optat de his, conſulat Bapt. Platinam *de vitis Pontificum Rom.* pag. 259. Lovanii 1572.

(b) Federicus Ubaldinus *in vita Angeli Colotii Epiſcopi Nucerini* pag. 10. Rom. 1673. ſcribit. *Primum lauro caput cingebatur, Academicorum mox ſuffragiis faventibus, nomen in album referebatur, deinde convivio exceptus, Academicis carmine novum cognomentum laudantibus, eodem ſalutabatur, conditione adjecta, ut lauream ſemper capite retineret inter Academicas exercitationes.*

amœnissimi, & deambulatio, quæ eam regionis partem belle exhilarabant; nunc ob ædificiorum incrementa, ac rerum, & variorum dominorum vicissitudinem immutata omnia intueri est: & sæpe in ipso Pontani fanulo se collegisse socios satis superque constat (*a*). In elegantem contentionem ventum est, Lyceine, an Academiæ cognomento locus esset condecorandus; sed eos in Platonem religio, & hujus divini viri memoria, atque in Aristotelem philosophorum maximum officium ab utroque nomine deterruerunt (*b*). Et quidem in institutionis initio ad Antonii Panormitæ nominis blandimentum audiit PORTICUS ANTONIANA (*c*); inde Pontano primas regente, ab omnibus PONTANI ACADEMIA vocitata. Quonam Panormita modo erga tam illustrem cœtum se gesserit, & quale eruditionis suæ specimen dederit, prostat nobis insigne documentum; scilicet multa ipse dicere aggressus, plura quidem ab aliis sciscitabatur, quam doceret; solitus præter hæc differentes severitate quadam Socratica irridere: interea auditores domos redibant nihil certi eorum, quæ in quæstionibus agitabantur (*d*). Contra Pontanus suo

(a) Pontanus *de Prudentia* lib. I. tom. 1. pag. 147. ait: *Senes tamen sumus, philosophamurque, & quidem cum paucis, ac nunc domestica in porticu, nunc fanulo in hoc, deambulationeque;* & Alexander ab Alexandro præcipuus Pontani cultor *Dierum Genialium* cap. 1. pag. 1. *Arcessebat*, inquit, *plerumque nos in hortos amœnissimos, ubi ædiculas habebat Jovianus Pontanus in nostra Parthenope*. Ex hisce omnibus evidenter colligitur falsum, quod nonnulli asserere non dubitarunt locum Academiæ fuisse domum quamdam Pontani, ad quam se rusticandi causa conferebat.

(b) Pontanus ibidem: *Ne Lyceum tamen appellaremus, tanti viri memoria nos deterruit, quodque etsi nequaquam in Academia, &c.*

(c) Idem in Dialogo *Antonius* tom. 2. pag. 68.

(d) Idem ibid. *Ipsum autem Antonium, quamquam multa dicit, plu-*

suo dicendi lepore, & eruditionis maturitate socios ita illiciebat, ac intentos detinebat, ut sæpe per omnem diem loquentem ipsum hilariter exciperent (*a*). Argumenta differendi in Academia non solum ab veterum Græcorum disciplinis, verum & ab Latinorum penu desumpta (*b*), nam cujusque facultatis summos viros in ea adscriptos novimus ex historia, eorumque præconia passim lectitare est (*c*). Agebant sane *verecunde, & parce, nec tam argute, examinateque, quam aperte, atque experienter* (*d*). Quantum ab ea hominum societate emolumenti in rem litterarum publicam invectum sit, is unus ignorat, qui Pontani nomen nondum audiit.

Cum autem seipse omnino Musis despondisset, numquam de uxore ducenda cogitarat, ratus libero lectulo nihil jucundius: & fortasse animi menti obversabatur effatum Henrici Puderici ex patriciis Neapolitanis; hic ad amici nuptias accitus comitem optavit Pon-

plura tamen sciscitari, quam docere solitum: nec tam probare, quæ dicantur, quam Socratico quodam more irridere differentes. Auditores vero ipsos magis voluptatis cujusdam eorum, quæ a se dicantur, plenos in domos dimittere, quam certos rerum earum, quæ in quæstione versentur.

(a) Teste Alexandro ab Alexandro loco laudato ingentis famæ, & doctrinæ viro, a quo laudari in lucro ponendum: *Illoque conveniebamus complusculi, quibus bonarum artium studia, eademque disciplinæ, atque non absimilis discendi facultas erat. Detinebat, demulcebatque nos vir ille fandi dulcissimus, egregia quadam, & illustri oratione, sermoneque perquam lepido, & venusto, totos plerunque dies: tanta in eo comitas, tantusque lepos erat.*

(b) Pontanus *de Prudentia* lib. 1. post pag. 147.

(c) Isthæc leguntur apud Hyacinthum Christophorum ibidem: *Ex qua* (Academia) *litterati viri velut ex equo Trojano exeuntes, undique bonas artes propagarunt, adeo ut per eam Poesis, Rethorica, Historia, Jurisprudentia, Grammatica, Critica, & deinceps Philosophia, Medicina, Geometria, Astronomia, ceteraque liberales disciplinæ perfectiores, & cultiores evaserint.*

(d) Pontanus ibid.

Pontanum: at Pontano interroganti, cur socio indigeret, reposuit Pudericus, *nolo solus in amici funus prodire* (a). Id consilii ad extremum usque ætatis retinuisset, nisi domestica quies, & solitudo tunc temporis sat molesta ad connubium impulissent: hinc amicis postulantibus, cur nuptiarum onus tandem subiisset, a quo semper abhorruit, respondit, ne iterum sub cura cujusdam pueri, quem ipse alebat, ægrotaret (b). Qua de re an. 1461. filiam Elisæ Agnestæ summæ virtutis matronæ, quam ipsemet Pontanus sanctissimam appellat (c), Adrianam, vel Ariadnam Saxonam uxorem sibi delegit patricii Neapolitani generis adolescentulam annos septemdecim natam, formæ elegantia nobilem, atque moribus integerrimam (d), præter opulentissimam dotem, quam viro largita est (e): de ejus integritate morum, & elegantia jampridem erat certior Joannes, cum nimirum Navarium instituerat: quin & Rex Alphonsus I. paucis ante annis Pontano ipsi commendaverat (f). Ab ea quatuor suscepit filios Lucium Franciscum, Luciam Martiam, Aureliam Domitillam, atque Eugeniam (g). Quam ardenti studio

(a) Pontanus *de Obedientia* lib. II. tom. 1. pag. 21.

(b) Tristanus Caracciolus in MS. scribit: *Poscentibus amicis, cur quod diu obstinate abnuerat, nunc tam repente aggrederetur, respondit, ne iterum sub cura Joannis (puer is erat, quem alebat) ægrotaret.*

(c) Pontanus *de amore conjugali* lib.I. pag. 3323. Huic Elisæ inscripsit Pontanus tumulum, qui exstat *Tumulor.* lib. II. pag. 3402.

(d) Tristanus in MS.

(e) Paullus Jovius *elog. Pontani* pag. 60.

(f) Tristanus ibid.

(g) Raphael Volaterranus *Paralipom.* lib. 38. post pag. 457. ait de Pontano: *Prole infortunatus; unicum enim habuit, eumque ad litteras indocilem, cui etiam superstes fuit.*

Adscripsere quidam inter Pontani filios Philippum Pontanum, attamen in universis operibus numquam ejus meminit Joannes,



dio in familiæ suæ cultum, honestatemque flagraverit Jovianus, multis verbis præstare potis essem: attamen satis testium mihi visum est versuum partem inferne adscribere (*a*), quos reperies veteribus, ac saluberrimis monitis refertos, tantaque venustate affluentes, ut quisque dignos reputet dubio procul, ut iterato legantur; quæ quidem monita absens ipse impense uxoris animo ingerit, inculcatque. Orditur siquidem, uti

cum ceteros natos oblitus non sit. Quin & Philippus in supremis suis tabulis, quarum exemplar in publico Archiepiscopii tabulario *in Volumine Visitat. Card. Josephi Spinelli* servatur, & non semel Joannis Pontani nomen indicat, verum numquam eumdem *patrem* salutat. Sed quid multis, quando ipse Pontanus *Eridani* lib.II. pag. 3620.cum Adriana mortua conquerens de Lucii filii obitu, canit:

Non heres mihi, non nostro qui sanguine crescat,
Quique suum blanda voce salutet avum....
Non spes venturæ prolis: tuque, o mea conjux,
His succurre malis, & mea damna leva.

Lubens quivis mecum conjurat Philippum non Joannis natum, sed gentilem fuisse, & fortasse patrem habuisse Thomam, vel Jacobum Pontanum, qui in subscribendis Regiis diplomatibus Joannis absentis vices implebat; non una enim id genus diplomata in R. Cameræ Archivo visuntur adhuc. At quonam ipse Jacobus cognationis, vel agnationis gradu Joannem attigerit, ignotum; verum de Thoma Pontano isthæc illevit Jovianus lib. de *Principe* tom. 1. post pag. 87. *Thomas Pontanus gentilis meus, vir doctrina, & multarum rerum usu clarus, quem dicere solitum accepi, urbium, regnorumque pestem esse ambitionem.* At id unum nobis exploratum est sacræ Joannis Ædis heredem scriptum fuisse Philippum, qui inde suo testamento cavit, ut quidquid ad illius Ædis cultum necessum esset, nam se ad id ab Joviano adstrictum noverat, perficeretur.

(a) Pontanus *de Amore conjugali* lib. I. pag. 3331.

Sed tamen, ut partesque meas, & jura tuerer,
Neve absens videar non memor esse domus,
Hæc obeunda tibi constanti pectore mando,
Officii quæ sint munera certa tui.
Primus honos, pietasque Deo, templisque dicatis:
Hoc primum discant pignora nostra, vide.
Templa adeant caste, castisque piissima votis
Dona ferant, gaudet simplicitate Deus.

uti par æquumque eſt, ab in rem divinam ſollerti cura: inde qui animi cultus tuendus, qui corporis non fucatus nitor, edicit: quæ domeſticæ adoleſcentularum ingenuarum exercendæ induſtriæ, quænam vitanda conſuetudo, ac libertas: neque præterit, quo pacto etiam bonitas valetudinis ſervaretur. Hac ſane diligentia, indulgentiaque parens abſentiæ ſuæ, ac pueritiæ liberorum conſulebat, hocce præceptorum firmiſſimo præſidio munie-

Tum colere antiquas artes, maternaque juſſa,
Atque agili diſcant carpere penſa manu.
In digitis acus, ante pedes intexta quaſilli
Viminaque, & fuſo ſtamina torta levi....
Dum tenera eſt ætas, dum mens patienſque magiſtri,
Tum proprias artes quiſque docendus erit.
Ergo dum molles animi, nunc imprime, mater,
Quæ pietas, quæ lex, faſque, pudorque jubet....
Nos pudor ac probitas, nos vita ruga ſeveræ,
Nos labor inſomnis, menſaque parca decet.
Ocia nequitiam ſuadent, dat luxus amori
Fomenta, in venerem, ſæve Lyæe, rapis.
Dicitur & fontes, fontanaque numina amaſſe,
Quæ Dea tutelam virginitatis habet.
Læneos latices odiſſe, & pocula Bacchi,
Pocula virginibus perniciosa ſuis....
Corrumpunt male dicta animum, moreſque verendos,
In veros ſenſus ſæpe abiere joci.
Laſcivos igitur cœtus, laſcivaque verba
Pignoribus noſtris rite cavenda vide....
Templa pudicitiam maculant, ni rite peractis
Rebus abis, templi noxia ſæpe mora eſt.
Ruſtica nec mihi ſit, nec ſit mihi blanda puella.
Quamquam ruſticitas labe vacare poteſt.
Blanda procax facile eſt, & amata ad ludrica velox
Sit procul, o procul, o blanda procaxque mihi.
Non quales ageret, didicit numeroſa choreas,
Sed quos exigeret Laodamia colos....
Eſt oris quoque lex; eſt & ſua cura capillo,
Quam tenuiſſe decet, præteriiſſe neſas....
Ante Helenam nullæ crines emere puellæ.
Troja docet, quantum non ſua forma nocet.

Nec

niebat: non veritus, quin omnia optatis ſuis reſponderent, quando noverat, & matris operam, fidelitatemque, & nihil eſſe filiis ſuis amabilius, quam imperium, ac nomen maternum.

Præ ceteris natis, quanto maximo amore Pontanus Lucium Franciſcum complexus ſit, teſtes divites ſunt nativa elegantia plena illa carmina *Næniæ* inſcripta, quorum exemplar ante Pontanum prorſus ignotum, atque eorum ipſum εὑρετῆρα juratus quiſque ſalutet (*a*). Is Lucius uxorem habuit, cujus nomen nos latet: ab eaque Tranquillam ſuſcepit puellam ſuaviſſimam, quacum luſitare ſolitus avus jam ſenior, & non uno etiam carmine honeſtavit (*b*). Lucium ipſum pater in philo-

Nec faciem, nec colla prius, nec pectora norant
Pingere, nec fuco conſuluiſſe genis....
Quid tibi præcipiam molles vitare feneſtras,
Ad culpas aditum laxa feneſtra facit....
Cogite fallaces, animus ne peccet, ocellos,
Cogite, libertas ne peritura cadat.

(a) Jacobus Gaddius *de Scriptoribus* tom. 2. pag. 164. ait: *In Hendecaſyllabis non raro vincit Catullum, in Tumulis plures poetas, omnes in Næniis*. Apponam ex duodecim hanc plenam leporis, & elegantiæ. Lib.II. *de amore conjugali* pag. 3357.

Pupe meus, pupille meus, complectere matrem,
Inque tuos propera, pupule care, ſinus.
Pupe bone, en cape, care, tuas, mi pupule, mammas,
Pupule belle meus, bellule pupe meus.
Suge, canam tibi næniolam, na nænia nonne
Nota tibi, nate, eſt nænia næniola?
Pupe meus, pupille meus, na nænia nonne
Nota tibi, nate, eſt nænia næniola?
Belle meus, mellite meus, na nænia nonne
Nota tibi, nate, eſt nænia næniola?
Somniculus tibi jam laſſis obrepit ocellis,
Dum tibi, nate, placet nænia nota nimis.
Pupe meus, dormiſce meus, na nænia noſtro
Da noctem nato, nænia, ſomniferam.

(b) Pontanus in lib. *Verſus Jambici* pag. 3520. alloquitur Tranquil-

losophia, omnium bonarum artium parente instituit, eique inscripsit quinque libros, quorum tituli *Urania*, & librum unicum *Meteororum* ad miraculum doctos, & expolitos: at fati improbitate anno undetrigesimo ætatis raptus est 1498. immenso patri desiderio sui relicto (*a*), quamvis tristissimo mœrore jam antea Jovia-

quillam neptem de morte Lucii Francisci.

Tranquilla, quid rides mali tui inscia?
Avum quid ad risum allicis jocis tuis?
Jocaris amens in paterno funere?
Sapere sed hoc est: vita namque omnis merus
Luctus, mera est miseria. Ride neptula,
Furare pensulum hoc novercæ, & quantulum est,
Ipsum neas tibi: offulam ægritudini
Subduc, & hanc, ut ista, quamvis parvula,
Lux in tenebris emicet: nox cetera est.

(a) Id omne testantur binæ elegantissimæ epigraphæ, quas ejus memoriæ, ac sepulcro Joannes sacrarat, quæque sculpta sunt in Pontaniana Æde, atque lib. II. *Tumulor.* pag. 3413. præter alias, quæ leguntur in *Jambicis*.

Has aras pater ipse Deo, templumque parabam,
In quo, nate, meos contegeres cineres.
Heu fati vis læva, & lex variabilis ævi!
Nam pater ipse tuos, nate, struo tumulos.
Inferias puero senior, natoque sepulcrum
Pono parens? heu, quid sydera dura parant!
Sed quodcumque parant, breve sit: namque optima vitæ
Pars exacta mihi est; cetera funus erit.
Hoc tibi pro tabulis statuo pater, ipse dolorum
Heres: tu tumulos pro patrimonio habe.
Vixit an. XXIX. *men.* V. *d.* III. *Francisco filio Pontanus pater a. Christi* MCCCCIIC. *d.* XXIIII. *Aug.*

Has, Luci, tibi & inferias, tibi & annua solvo,
Annua vota piis heu mihi cum lacrymis!
Hæc, Luci, tibi, & ad tumulos, positumque feretrum
Dona pater multis perluo cum lacrymis!
Hæc dona, inferiasque heu, heu, hunc, nate, capillum,
Incanamque comam accipe, & has lacrymas!
His lacrymis, his te inferiis, hoc munere condo:
Nate, vale æternum, o & valeant tumuli.

Quin

vianum affeciſſet Lucia Martia, quæ tredecim poſt annis deceſſit (*a*). Aureliam natu majorem ſibi deſpondit Paullus de Caivano duplici Regio munere inſignis, cui & dos dives data (*b*); quo mor-

Quin & hient tumuli, & tellus hiet, & tibi me me
Reddat, & una duos urna tegat cineres.
Pontanus pater L. Franc. fil. inſel.

(a) Tumulus hic etiamdum exſtat in Pontani Sacello, & *Tumulor.* lib. II. pag. 3400.

Liquiſti patrem in tenebris, mea Lucia, poſtquam
E luce in tenebras, filia, rapta mihi es.
Sed neque tu in tenebras rapta es: quin ipſa tenebras
Liquiſti, & medio lucida Sole micas.
Cælo te natam aſpicio: num, nata, parentem
Aſpicis? an fingit hæc ſibi vana pater?
Solamen mortis miſeræ te, nata, ſepulcrum
Hoc tegit, haud cineri ſenſus ineſſe poteſt.
Siqua tamen de te ſuperat pars, nata, fatere
Felicem, quod te prima juventa rapit.
At nos in tenebris vitam, luctuque trahemus,
Hoc pretium patri, filia, quod genui.

Muſæ, filia, luxerunt te in obitu, ac lapide in hoc luget te pater tuus, quem liquiſti in ſqualore, cruciatu, gemitu, heu, heu! filia, quod nec morienti pater affui, qui mortis cordolium tibi demerem, nec ſorores ingemiſcenti, quæ collacrymarunt miſellæ, nec frater ſingultiens, qui ſitienti miniſtraret aquulam: non mater ipſa, quæ collo implicita ore animulam exciperet infeliciſſima: in hoc tamen felix, quod haud multos poſt annos te reviſerit, tecumque nunc cubat; aſt ego felicior, qui brevi cum utraque edormiſcam eodem in conditorio. Vale, filia, matrique frigeſcenti cineres interim calefac, ut poſt etiam refocilles meos. Joannes Jovianus Pontanus L. Martiæ filiæ dulciſſimæ poſuit, quæ vixit an. XIII. *men.* VII. *d.* XII.

(b) *Privil.* 21. 1486. poſt pag. 118. *in Cancellaria*. Paullus de Caivano *Conſiliarius*, & *Squadrerius* Regis Ferdinandi I. erat, qui & dotem accepit *mille quingentorum ducatorum de carlenis argenti boni, & juſti ponderis ad rationem decem liliatorum pro quolibet ducato conſiſtenti in Alphonſinis ducatis auri carlenis coronati argenti*.

mortuo, nunquam adduci ipsa potuit, ut alteri nuberet, quamquam pater impelleret, sæpe reponens, neminem placiturum sperare æque similem Paullo (*a*). Eugeniam vero duxit M. Bartholomæi de Constabulis Beneventani civis filius (*b*), ex qua nulla orta est proles (*c*). Pontanus quamvis in amore timidus, ac suspiciosus (*d*), cum Adriana tamen fidissima conjuge vitam annis undetriginta conjunctissimam, nec sine laude virtutis vixit, uti affatim testantur libri *de amore conjugali*. At ea medio fere ætatis cursu, annorum scilicet sex & quadraginta obiit Kal. Martii an. 1491. (*e*). Qua de re Jovianus, us-

(a) Pontanus *de Sermone* lib. V. tom. 2. pag. 238. *Aurelia natu major, amisso Paullo marito, cum a patre ad alterum virum, torumque hortabatur secundum: quin tu, inquit, pater, non te nuptias secundas inis? quia (respondit) nullam matri tuæ similem me reperturum confido. Id ipsum (respondit) me me versat, pater, quod mihi placiturum Paullo æque similem sperem neminem. Hæc ipsa cum vix duodecim annorum filiam marito despondisset, jubente Federico Rege, eaque a viro parum pro ætate, atque urbanis moribus deliciose tractaretur, interrogataque quamnam uxorie filiola cum marito ageret? mihi, inquit, mortuus est conjux, filiæ vero nullo modo vivus.*

(b) *Ex Regiſtr. Privil.* pag. 151. in Archivo R. Cameræ.

(c) Pontanus ibidem: *Eugenia filia, eaque sine liberis; cumque aliquando ea suis e scriniolis protulisset imagunculas quasdam venustissime effigiatas, quanto, inquit melius, o filia, & patri, & viro, & tibi ipsi consultum esset, si harum similes aliquas ex utero tuo proferres.*

Pontanus pater duo Epithalamia in filiarum nuptiis cecinit, quæ exstant lib. III. *de amore conjugali* pagg. 3363. & 3368.

(d) Quot animi perturbationibus urgeretur ob uxoris insignem ζηλοτυπίαν, adisis *Bajarum* lib. I. pag. 3470.

(e) Quanti eam duxerit maritus, funebri carmine, & soluta oratione leporis plenis palam fecit, quæ & in Pontaniana Æde prostant.

Illa tori bene fida comes, custosque pudici,
Cuique & acus placuit, cui placuere coli.
Quæque focum, castosque lares curavit, & aræ
Et thura, & lacrymas, & pia serta dedit.
In prolem studiosa parens, & amabilis, uni
Quæ studuit caro casta placere viro.

usquedum ei superstes fuit, non solum quotannis, uti mos est, sed & singulis quibusque mensibus Adrianæ conjugis caste, religioseque recolebat memoriam, quæ adeo ejus obversabatur menti, ut per omne vitæ curriculum sociam laborum, ac fidam comitem habuerit (*a*).

Cum

Hic posita est Ariadna, rosæ, violæque nitescant,
Quæ posita est Syrio spiret odore locus (*).
Urna crocum dominæ fundat, distillet amomum
Ad tumulum, & cineri spica Cilissa fluat.
Quinquennio postquam, uxor, abiisti, dicata prius Ædicula, monumentum hoc tibi statui, tecum quotidianus ut loquerer, nec si mihi non respondes, nec respondebit desiderium tui, per quod ipsa mecum semper es, aut obmutescit memoria, per quam ipsa tecum nunc loquor. Ave igitur, mea Adriana, ubi enim ossa mea tuis miscuero, uterque simul bene valebimus. Vivens tecum vixi an. XXIX. *d.*XXIX. *Victurus post mortuus æternitatem æternam. Joannes Jovianus Pontanus Adrianæ Saxonæ uxori opt. ac bene merentiss. p. quæ vix. an.* XLVI. *men.*VI. *obiit Kal. Mar. an.* MCCCCLXXXXI.

(*) Versus hic omnino immutatus exstat in Joviani carminibus lib. II. *Tumulor.* pag. 3412.
Qua posita, & lacrymis hic mihi surgat honos.

(a) Hæc verba *de Prudentia* lib. III. pag. 181. legentium oculis subjiciunt singularem amorem, quo matronam tantam prosecutus est Pontanus: *Eodem enim hoc die, his iisdem Kal.* (Martii), *nono ante anno Adrianam amisi conjugem, & laborum sociam meorum omnium, & molestiarum levatricem. Verum enim illam nec ego amisi, quæ mecum assidua est, nec ipsa me deseruit, aut ut non æqua laborum socia, aut parum fida comes itineris, ac vitæ hujus meliorem ad vitam contendentis. Nec volens illa quidem, sponteque ærumnis his humanis cessit, sed abiit, potius ut vocata, sed discessit, ut arcessita, & tamquam meliore vita digna emigravit in cælum beatam illic cum cælitibus vitam actura. Quo circa abesse tantum debet, ut lacrymosus mihi dies hic sit habendus, ut & religiosus habeatur, & sacer. Nam de meo, ut videtis, instituto, rebus sacris rite ter peractis, quod ex quo meo illa e sinu in cælum abiit, pie, casteque servatum est, servabiturque quamdiu illi superstes ero, non anniversaria, ut multi, sacra, sed menstrua in ejus memo-*

riam

Cum autem diem Adriana obiisset, alteram conjugem Jovianus jam senior duxit Stellam nomine (*a*), domo Ferrariensem, obscura, an præstanti cognatione, ignotum, at morum honestate, & in domesticæ rei cura, inque viri cultu prudentem, ac attentam. Illam mire Pontanum deamasse scimus, ne dicam deperiisse; hinc appositissima specie præstitisse quisque facile conjiciet: & tam

riam celebro, quæ post illius obitum, non mentiar, si dicam maxima, verum tamen eloquar, si dixerim unica est mihi voluptas, atque levatio. Nam quoties Kal. ipsæ adveniunt exspectatæ, desideratæ (dicam verius) suspiratæ adveniunt, videor mihi illam alloqui, illius ore, oratione, conspectu frui, commendare illi rem domesticam, capere cum ea rerum familiarium consilium, in illius denique administratione, prudentissimisque consiliis conquiescere. Sed cum ea felicissime jam sit actum. Cujus exemplo admoniti nos quoque, quæ via ad felicitatem est una, & contemplari virtutem, & cælum ipsum inquirere ne desinamus.

(a) Nollem, ut quis Stellam Joviani amicam fuisse existimet, tum eo quod nec prosapiam novimus, neque cognomentum, tum quod maxime in eam amore senex arsisse visus sit: cum ex ipsis carminibus ei illam nupsisse arguamus: etenim ex versibus ad Tranquillam neptem paullo ante pag. 29. appositis Stellam *novercam* Lucii Francisci dicit: præterea in epigraphe Lucilii Stellæ filii, hanc ipsam *matrem* appellat: addas in carmine *Eridani* lib. I. pag. 3562. ait Pontanus:

Ad cœnam me Stella vocas, & gaudia lecti:
Mensa mihi posita est, compositusque torus:
Ipsa ministrabis simul, & simul ipsa recumbes, &c.

quæ omnia uxoris munia sunt. Neque me turbant, quæ de ea asserit Petrus Summontius Pontano carissimus *in explanatione aliquot locor.* in fin. volum. poes. Joviani pag. 3705. nimirum *in deliciis habuisse Stellam mulierem Ferrariensem*, cum in sanctiori Latinitate isthæc verba nil indecorum præseferant, idque unum expressit Summontius, scil. senilem, anxium, ardentemque in Stellam amorem: & quantum Latine studuerit Petrus, is ignorat, cui ejus scripta numquam evolvere datum est: quod autem *in deliciis* habere æque sit *& diligere*, vadem habeo Tullium, qui ad Att. lib. 6. epist. 1. paullo ante finem scribit: *De publicanis quid agam, videris quærere, habeo in deliciis, obsequor, verbis orno, efficio, ne cui molesti sint*. Neque quis præterea obstet Pontanum Aureliæ filiæ

tam ingentem amorem duobus elegiarum more ſuo blandiſſimarum libris celebravit, inſcriptis *Eridani*, eo quod Stella Ferrariæ orta, qui fluvius eam regionem magnam partem interfluit: ab ea Lucilium filiolum habuit, qui quinquaginta poſt diebus naturæ ceſſit (*a*). At pater juxta ac maritus infeliciſſimus Stellam etiam fato ereptam cum lacrymis compoſuit, elogioque honeſtavit (*b*).

Sed jam ad graviora negotia matureſcentem Jovianum vocabat publica regni tranquillitas, cui ut optime proſpiceret Ferdinandus Rex anno nimirum

1463.

liæ non alias poſt Adrianæ obitum nuptias initurum ſpopondiſſe, vide ſupernas adnotat. pag. 31. litt. (a), cum homines quamvis prudentiſſimos tenax hac in re propoſitum immutare vel indignamur, vel demiramur. His animadverſis, nemo Pontano moleſtus erit de certis Stellæ nuptiis. Amaſſe vero Venerillam elegantiſſimam adoleſcentulam habeo ex *Tumulor.* lib. I. pag. 3379.

(a) Lucilii tumulus, in cujus nomine, & dierum vitæ numero argute ludit, viſitur in Pontani ſacra Æde.

Lucili, tibi lux nomen dedit, & dedit ipſa
Mater Stella tibi, Stellaque, luxque ſimul.
Eripuit nox atra, nigræ eripuere tenebræ,
Vixiſti vix, quot littera prima notat.
Hos ne dies? breve tam ne tibi lux fulſit? & atræ
Maternum in nimbis ſic tenuere jubar?
Infelix fatum, puer, heu male felix, heu quod
Nec puer es, nec lux, nec niſi inane quid es!
Floreat ad pueri tumulum, ver halet & urna (*)
Lucili, & cineri ſpiret inuſtus odor.
Dies L. non impleſti, filiole, breve naturæ ſpecimen, æternus parentum mœror, ac deſiderium.

(*) Aliter legitur verſus hic in volum. Pontani poeſ. pag. 3415.
Sit vobis ver perpetuum, ac ſine nube, puellæ.

(b) Tumulus Stellæ Ferrarienſis. Tumulor. lib. I. pag. 3394.
Sit vati fas, Pierides, quæ lucida fulget
Stella polo, hanc proprio condere ſub tumulo.
Stella tibi tumulus cœlum eſt: hæc te tegit urna.
Teque per & tumulus, te per & urna nitet.

Stel-

1463. ipſum delegit, ut ſecretiora quæque rerum moderaretur (*a*); itaque ad hunc ſupremum regni Magiſtratum evectum gratulati ſunt univerſi exiſtimantes par tanti viri meritis, ac virtuti pretium: præſertim cum id munus, præter fidem optimam, magnitudinem cogitationum requireret, & in utraque Pontanus eminebat. Sane mihi piaculo eſſet, ſi de ſumma Joviani integritate, atque abſtinentia præconia non attexerem: ipſe enim amicorum cariſſimis, qui ejus moderati animi ſenſa noverant, hortantibus, ut eo in munere tandem diteſceret aliorum premens veſtigia, urgeretque fortunam, reſpondere ſollemne habuit, EGERE NOLO, OPULENTUS ESSE RECUSO (*b*): ſententia ſpecioſis verbis condecoranda, præſertim viri in tanta amplitudine honoris. Conſcius Ferdinandus Rex tam mirandæ Joviani frugalitatis, PISONIS ſimillimæ, (licet hic optimis temporibus vixerit), & utpote Princeps ſapientiſ-

Stella nites urna, radios tibi, & urna miniſtrat,
Præbet & hos tumulus, & tumulo ipſa nites.
At nec Stella jacet tumulo, ſed ſplendet in urna,
Splendet & in tumulo, nam polus eſt tumulus.

(a) Vide *Commune 6. Regis Ferdinandi I.* an. 1463. poſt pag. 11. in Archivo Cancellariæ.

Animadvertendum ea tempeſtate non unum exſtitiſſe magiſtratum *a Secretis Regis*, qui mos hodiedum viget: imo Alphonſi I. Reg. quatuor floruiſſe conſtat: hinc ipſo Rege Ferdinando I. diplomata ab Antonello Petrucio etiam ſubſcripta adhuc proſtant in Archivo R. Cameræ.

(b) Pontanus in Dialogo *Ægidius* tom. 2. poſt pag. 169. *Tempeſtate hac noſtra qui apud Reges, reguloſque magiſtri fuere epiſtolarum, utque hodie dicuntur Secretarii, ſummum in modum locupletati ſunt omnes, præter Jovianum hunc, qui hic adeſt, quam ad rem ab amicis, familiaribuſque aſſidue cohortatus cum eſſet, nunquam a propoſito dimoveri potuit, illud in ore ſemper habens, egere nolo, opulentus eſſe recuſo; qua ratione non modo cupiditati imperavit, pecuniarumque appetitioni, verum ipſis etiam Regibus in re publica moderanda.*

tiſſimus norat in proverbium abiiſſe, *virum bene frugi omnia recte agere;* ea de Pontani virtute Regia liberalitate mereri cœpit, ut non uno præmiorum genere magis teſtatam fecerit: nam præterquamquod civitate Neapolitana donavit (*a*), indixit, ut e Regis vectigalibus ei quotannis bina penſio ſolveretur (*b*). Præterea ædificium quoddam quadrangulum, & in ſublime editum *Turris Arcus* dictum, in præclariſſima noſtræ urbis regione ſitum eidem impertiit, remiſſa etiam pecunia Fiſco ſolvenda illius Turris adipiſcendæ gratia (*c*); inde *Pontania-*

(a) Camillus Tutinus *de origine*, *&* *inſtitutione Sedilium* pag. 209. Neap. 1644. Ital. conſcript.

(b) Vide *Exec.* 25. an. 1462. 63. 64. poſt pag. 43. & *Exeq.* 1. an. 1465. ad 67. pag. 212. in Archivo in R. Cameræ. Unam ex his penſionibus fuiſſe *unciarum* quadraginta, alteram ſex & viginti, & *tarenos* 20. *Unciæ* autem pretium, fuiſſe ſex noſtratium *ducatorum* ex altero diplomate eruitur: *Motu proprio*, *&* *gratia ſpeciali addimus*, *concedimus*, *&* *ſtabilimus eidem Joanni Pontano ad vitæ ejus decurſum alios centum ſexaginta ducatos ad rationem tarenorum quinque pro ducato quolibet*, *videlicet Uncias viginti ſex*, *&* *tarenos viginti.*

(c) Vide *Introitum magni ſigilli an.* 2. *indict.* 1468. 69. poſt pag. 100. Archivo R. Cameræ. De hac Turri iſthæc juvit me collegiſſe. Camillus Tutinus ibid. pag. 16. ſcribit ipſam initio Ulcanorum familiam poſſediſſe; inde Fiſco addictam, Ferdinandum Joviano obtuliſſe, & *Pontanianam* dictam. Joa. Antonius Summontius *in Hiſt. Urb.* *&* *Reg. Neap.* Italice exarata addit tom. 3. pag. 376. Neap. 1748. VI. Id. April. an. 1564. everſam fuiſſe efflagitante Maria de Aragonia Marchion. *Vaſti*, quæ juxta eam Turrim ædes ſuas habebat. Pontanus ipſe in Dialog. *Ægidius* tom. 2. pag. 155. exſtructam refert prope ſuam domum, atque ita deſcribit: *Turrim ſuſpicimus quadrangulam eam quidem*, *atque in ſublime editam*, *imminentemque quadrivio*, *atque in loco urbis maxime celebri*, *&* *nobili*, *vocitantque eam Pontanianam*. Quidam ex noſtratibus ſcriptoribus nugas oggerunt, uti idem Summontius ibid. aitque appellatam *Turrim Arcus*, quod quatuor fulciretur arcubus: quidam vero ſicuti ſcribit Tutinus loco laudato, quod ea in regione antiquus Neapolitanorum Magiſtratus Ἄρχων degeret, quando nempe noſtra in urbe Græca vigebat inſtitutio. Verum nemo ambigat *Turrim* dictam *Arcus*, eo quod plurima ædificiorum pars ejus re-

niana Turris nomen acquisivit, ab aliis possessoribus solo æquatum. Longius progressa est Regis largitas, & binis aliis muniis ipsum honestavit, quorum voces utpote barbarica ætate invectas, atque veteribus Latinis ignotas margini subteximus (*a*).

Inter reliqua Alphonsi I. Regis præclara monumenta posteritati prædicanda accenseam, quod fisci Principis tribunal instaurandum, inque ordinem cumulate decorum restituendum aggressus sit: jussit siquidem, ut illud quatuorviri regerent ob vestimenti peculiaris genus *togati* dicti, duoque *non togati*, quibus omnibus is, qui *Magni Camerarii* vice fungeretur, præesset *Locumtenentis* nomine; & quo magis increscerct ejus loci decus, & amplitudo, factum est, ut eorum curæ, ac sapientiæ commendaverit, ut non solummodo Regiis reditibus providerent, sed & in quibuslibet *feudorum* litibus dirimendis jus dicerent. Qui secuti sunt Principes tanti Regis exemplum imitati, quo talium magistratuum potestati, ac dignitati faverent, quascumque contentiones, in queis fisci jura interessent, ad eorumdem consilium relatum iri edixerunt (*b*). Inde Regis Ferdinandi I. ævo horum virorum numerus ad sex & viginti auctus est, quorum plerique omnes scientiæ, & generis splendore nobiles. Hos inter allectus Pontanus (*c*), suo Antonio Panormitæ successit, ejusque par-

regionis *arcubus* innitebatur, quorum bonam partem adhuc cernere est.

(a) Nimirum *Scribæ* munus in Regia *Cancellaria*, & *Actorum Magistri* in oppido Salæ in Lucania. *Ex Volumine part. Regis Ferdinandi I.* an. 1493. pag. 204. in Archivo R. Cameræ.

(b) Angelus de Constantiis *in hist. Reg. Neap.* Italice conscripta lib. XVIII. pag. 407. Neap. 1735. Petrus Jannonius tom. 3. lib. XXVI. pag. 388.

(c) *In comp. Creden. Jacobi Cavalli* an. 1475. 76. in Archivo R. Cameræ. Et Pontanus in Dial. *Asinus* de se ipse tom. 2. pag. 178.

partes implevit an. 1471. (*a*). At crescente in dies eo in munere Pontanianæ virtutis, ac ingenii fama, ipse an. 1479. ad honestissimum *Locumtenentis* magistratum evectus est (*b*); tot etiam meritorum ratione habita, tum quod non sine multorum periculorum patientia, summaque fide in omni bello adversus Andegavenses Ferdinando Regi insignem operam præstiterat, tum quod ejus filii Alphonsi Calabriæ Ducis, jubente patre, in tot belli expeditionibus lateri adhæserat (*c*), consultis facta conjungens, emendansque matura virtute sua, quæ ancipitis erant fortunæ. At longo annorum intervallo durasse in castris semper ægre tulit Jovianus, uti scimus ab numeroso, & pleno querelis carmine ad uxorem (*d*).

Trium post annorum tractum, nempe 1482. exitiale bellum conflatum est Venetos inter, & Herculem I. Ferrariensium Ducem; hic etenim pactorum fidem posthabuit, quibus juraverat, quibusque pacis fœdus inter Venetos, & Estenses Principes sancitum fuit. Deterrimi hujus belli turbo summa immanitate desæviit ob grande odium, quo in Ferdinandum Neap. Regem exarserant Veneti, quod hic Princeps Ferrariæ Duci filiam suam Heleonoram nuptui dederat, quod conjugium ipsi iratissimo animi mente tulerunt

178. inquit: *Sexagenarium hominem, Regiis actionibus Præsidentem, moribus tam compositis, institutis tam rigidis.*

(a) Vossius *de Histor. Latin.* lib. III. pag.607. inquit Jovianum in *Regii scrinii magistri munere*, quod & idem est, ac *R. Cameræ Præsidis*, Antonio Panormitæ successisse; id autem accidit an. 1471. nam certo constat eo tempore Panormitam decessisse.

(b) Nicolaus Toppius *de origine omnium Tribunalium* tom.1. pag. 166.

(c) Pontanus *de Prudentia* lib.I. pag. 166.

(d) Idem *de Amore conjug.* lib. I. pag. 3321.

runt (*a*). At quasi totius Italiæ fortuna incolumis servata est unius Pontani opera, & consiliis, viri, ubi res exigeret, providentissimi, agendique scientissimi, ita ut *in ipso belli ardore secuta pax fuerit cum Italiæ totius quiete, & otio* (*b*).

Non minus acre bellum tribus post annis conflatum est. Pont. Max. Innocentius VIII. Ligur ex Cyborum prosapia deliberatum habuit, ut Ferdinandus præter asturconem (*c*) reliquum annui pensi Romanæ Sedi solveret, quamvis hoc antecessores Pontifices Paullus II. & Sixtus IV. quod in Hydruntino bello contra Turcas maximas impensas egerit, remisissent; quare cum equam illam solummodo obtulisset Regis nomine Antonius Alexander, Innocentius recusavit (*d*). Hac de re bellum in Italia iterum recruduit: at priscæ gravitatis, ac eloquentiæ heros Pontanus, cui uni id negotii concreditum est, omnia ad concordem amicitiam, firmamque pacem facillime composuit, atque ita, ejus verbis utar, *Regias res prope afflictas magna sua cum gloria, majori populorum tranquillitate non restituit modo, verum etiam stabilivit* (*e*). At quis in transcursu tam arctati voluminis laudibus extollere audeat

(a) Ludovicus Antonius Muratorius *Annal. Italiæ* tom. IX. an. 1482.

(b) Pontanus ibid.

(c) Vulgo *Chinea*.

(d) Camillus Portius *de conjuratione Procerum Reg. Neap. contra Regem Ferdinandum I.* Italice scripta pag. 11. Rom. 1565. Petrus Jannonius lib. XXVIII. tom. 3. pag. 464. Ludovicus Antonius Muratorius ibid. an. 1485. & 1486.

(e) Pontanus Dialogo *Asinus* tom. 2. post pag. 177. & *de Prudentia* lib. I. tom. 1. pag. 166. Fœdus hoc firmatum fuit Romæ pridie Id. Augusti an. 1486. coram Regis Hispanorum legatis, Archiepiscopo Mediolanen. & Comite Tentiliæ, vicesque Neap. Regis implente Pontano ipso: Camillus Portius ibid. pag. 63. Jannonius ibid.

deat grave responsum ipsius Innocentii, atque Romano Pontifice dignum, & Joviano honestissimum Cardinalibus redditum de pacis securitate metuentibus? *At neutiquam falsos nos habuerit Jovianus Pontanus, quicum de concordia agitur: neque enim eum veritas destituet, ac fides, qui ipse numquam veritatem deseruit, ac fidem* (*a*). Interea Romæ commoratus Joannes usus est familiaritate doctissimi Federici Urbinatium Ducis, quocum sæpe de re litteraria egit, cujus rogatu e Græco ore in Latinum transtulit centum sententias Ptolemæi contra fidem ab aliis jam antea conversas: is Pontanum suspiciens Græca longe callentem, ut etiam quibusdam commentariis, quo majori luce ditescerent, eas ornaret, flagitavit: morem gessit Jovianus, eidemque Duci primum librum inscripsit: isque labor adeo cordi fuit Joanni, quod primus id periclitatus sit, ut non parum laudis ab eo aucupari optaverit (*b*).

Roma Neapolim reversus Joannes una cum Jacobo Sannazario, quem itineris, ac laborum comitem habuit (*c*), post tot egregia virtutis specimina, ac res præclare gestas, ob fœdum majestatis crimen Antonello Petrucio a supremo magistratu dejecto, totius Regni administer renunciatus est (*d*); at is fortunam muta-

(a) Idem lib. II. *de Sermone* tom. 2. pag. 203.
(b) Idem *Comment. in centum sententias Ptolemæi* tom.3.lib.I.pag.2.
(c) Pontanus Dialogo *Asinus* tom. 2. post pag. 178.
(d) Id clarissime teneo ex loco Pontani *de Prudentia* lib. I. pag. 166. tom. 1. atque a subscriptionibus diplomatum in R. Camera a morte Petrucii: hinc vehementer decipitur Camillus Portius ibid. qui nihil hæsitans chartis illevit *Pontanum Petrucio non successisse*; quare ira percitus senex, ut Portius ait, ambitiosus, benefactorum oblivioSissimus contra Alphonsum Calabriæ Ducem Dialogum *Asinus* exaravit, in quo allegorice ingratum omnino, deque se male meritum hunc Principem mordet.

mutavit, non animum: in eo enim munere, ingentique curarum pondere tanta fide, ac honestatis gloria se gessit, rexitque, ut de se merito ea prædicaverit, queis, quisquis eximio id genus officio fruitur, instrui abunde, atque utinam etiam æmulari possit: *ita domi, militiæque me ipsum gessi, ut primum locum in deliberandis, & consultandis rebus, capiendisque consiliis per multos annos tenuerim, ea cum integritate, & fide, ut meis de administrationibus neque tunc sit questus, neque hodie* (scilicet cum vitam privatam, & quietam degeret) *queratur ullus* (a). Hic non importunum reor, si appendam tantum virum de Regia dignitate, exantlatis tot laboribus, meritissimum sat ægre tolerasse se in petitione unius ex *Comitatibus* Caleni, vel Polycastri posthabitum, a quibus depulsos viderat Franciscum, & Jo. Antonium, Antonelli Petrucii filios ob majestatis crimen, atque digna, crudelique morte interfectos: quare haud irarum patiens famosum illum *Asini* (b), scri-

(a) Pontanus *de Prudentia* ibid.

(b) Mihi visus est Dialogi *Asinus* scribendi rationem divinasse Benardus Christophorus in MS. quod Doctiss. Ludovicus Sabbatinus de Anfora Episc. Aquilanus servat, quodque mihi lubens, ut exscriberem, indulsit: *In locum Antonelli*, inquit Christophorus, *idest pro primo Regis Secretario Pontanus ipse destinatur, & eligitur, & Alphonsus, cum per ea tempora in Castro Capuano bibliothecam parasset, cui præfecerat Jo. Albinum, inter preciosiora Pontani imaginem collocari fecit, quam quidem singulari reverentia ob beneficia accepta exteris ostendebat, nec ultra progressa est Regis munificentia erga Pontanum, namque ad Velinos Polycastrensem Comitatum complurimis oppidis constantem Joanni Carafæ dono dedit, Caleni* (*vulgo* Carinola) *aliis largitus est, nulla Pontani mentione habita, nisi quod tantum, quod de jure debebatur in locum Petrucii substituitur. Quod quidem ægre ferens Pontanus Dialogum confinxit, quem* Asinum *appellavit, sive de ingratitudine, ubi ab eo singulari fide, atque virtute tractata, exantlatosque labores luculenter expressit, summoque felle referciendo.*

five de ingrati animi vitio Dialogum confcripfit : vel magnis animis difficile eo tacere, cum doleant.

Pontanus ad cujusvis virtutis exemplar natus infigne etiam religionis fpecimen exhibuit: itaque an. 1492. (*a*) Ædem V. Mariæ, atque Joanni Evangeliftæ facram excitandam curavit, eam quidem elegantiffimi ingenii, & ultra quam ejus ætatis ars ferebat, quæ a tranfalpinis gentibus jam pridem barbariei plurimum contraxerat. Sane adhucdum invifitur quadrangula fpecie, & *Romana*, five *Compofita*, ut ajunt, ftructura, quadratoque lapide noftrate fufco, & duriore exftructa; binis januis altera ad orientem folem, altera ad meridiem apertis, felectoque marmore diftinctis. Exteriorem faciem octo memorabilibus fententiis (*b*) ab antiquitate petitis

(a) Annum hujus Templi dedicati ab Pontanianis nancifcimur lapidibus ejufdem exempli utrique januæ fuperpofitis.

D. MARIAE DEI MATRI
AC D. IOANNI EVANG.
IOANNES IOVIANVS PONTANVS
DEDICAVIT
AN. DOM.
MCCCCLXXXXII.

(b)

I
IN MAGNIS OPIBVS
VT ADMODVM DIFFICILE
SIC MAXIME PVLCRVM EST
SE IPSVM CONTINERE

II
HOMINEM ESSE SE HAVD
MEMINIT
QVI NVMQVAM INIVRIARVM
OBLIVISCITVR

III
IN VTRAQVE FORTVNA
FORTVNAE IPSIVS
MEMOR ESTO

IV
INTEGRITATE FIDES
ALITVR
FIDE VERO AMICITIA

V
SERO POENITET QVAMQVAM
CITO POENITET
QVI IN RE DVBIA
NIMIS CITO DECERNIT

VI
FRVSTRA LEGES
PRAETEREVNT
QVEM NON ABSOLVIT
CONSCIENTIA

NEC

titis in marmore ſcalptis exornavit, præter dedicationis verba, & ſtemmata ſui, & uxoris cognomenti. Pars omnis interior uno nec inconcinno fornice cooperitur: unaque ara exornatur ſub imaginibus V. Mariæ, & bini Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ in pariete affabre depictis. Undique intueri eſt ſacræ Ædis muros ſcriptis a Pontano lapidibus vel prorſa, vel verſa oratione comptos ad ſuorum famam inibi compoſitorum (*a*): quibus accenſenda illa inſcripta Petro Compatri (*b*), viro eruditio-

VII	VIII
NEC TEMPERITAS SEMPER FELIX NEC PRVDENTIA VBIQVE TVTA	IN OMNI VITAE GENERE PRIMVM EST TE IPSVM NOSCERE

Quatuor, quæ deſiderabantur ſententiæ ab vetuſtis auctoribus exſcriptæ ſunt, quarum prima legitur apud Plutarchum in *Laconis* vita, eaſque in templi facie, quæ orientem ſpectat incidendas curatum eſt.

IX	X
EXCELLENTIVM VIRORVM EST IMPROBORVM NEGLIGERE CONTVMELIAM A QVIBVS ETIAM LAVDARI TVRPE	NOS POTIVS NOSTRO DELICTO PLECTAMVR QVAM RESPVBLICA MAGNO SVO DAMNO PECCATA LVAT
XI	XII
NON SOLVM TE PRAESTES EGREGIVM VIRVM SED ET ALIQVEM TIBI SIMILEM EDVCES PATRIAE	AVDENDO AGENDOQVE RESPVBLICA CRESCIT NON IIS CONSILIIS QVAE TIMIDI CAVTA APPELLANT

(a) Superius ſcriptum eſt de filiis, ac uxore pag. 29. lit. (a) 30. lit. (a) 31. lit. (e) 34. lit. (a)

(b) Hiſce verbis ſat ponderoſis, & commentario dignis commendavit Pontanus æternam amiciſſimi, atque ſummæ honeſtatis viri memoriam.

QVID

ditione, ac pietate (a) eximio, quocum conjunctissime vixit Pontanus tribus & quinquaginta annis. Affixis

QVID AGAM REQVIRIS TABESCO
SCIRE QVIS SIM CVPIS FVI
VITAE QVAE FVERINT CONDIMENTA ROGAS
LABOR DOLOR AEGRITVDO LVCTVS
SERVIRE SVPERBIS DOMINIS (1)
IVGVM FERRE SVPERSTITIONIS (2)
QVOS CAROS HABEAS SEPELIRE
PATRIAE VIDERE EXCIDIVM (3)
VXORIAS MOLESTIAS NVMQVAM SENSI (4)
PETRO COMPATRI VIRO OFFICIOSISSIMO
PONTANVS POSVIT CONSTANTEM OB
AMICITIAM ANN. LIII.
MDI. XV. KAL. DEC.

(1) Reges Aragonenses intelligit, in quos iratissimus vivebat Jovianus, a quibus summum magistratum adeptus, merito inde dejectus est: de hoc summi viri crimine, ac fato mox dicturus.

(2) Quid valeat vox *superstitio* apud Pontanum, consulatur lib. *de Liberalitate* tom. 1. pag. 109. Quidam referre amant ad Dialogum *Charon*.

(3) Quæ calamitas, ac clades Neapolitanas provincias, ac ipsam principem urbem pessumdaret, Pontanus ipse nos docet *de Sermone* lib. I. tom. 2. pag. 185.

(4) De uxore ducenda numquam in animum sibi induxit Petrus Compater, de quo apposite narrat lepida quædam Jovianus *de Sermone* lib. IV. post pag. 231. tom. 2. *Hortabatur homo minime malus Petrum Compatrem ad uxorem ducendam. Has inter adhortationes, qui pone eum stabat, juvenis argutus cum sternuisset, nihil ipse respondit; tum ille, quid malum, & amico, & honesta suadendi non respondes? ad ea tum Compater, nec mihi, inquit, nec uxori male auspicaturus sum. Cum enim e duobus conjugium (ut scis) constet, Hispani quidem augures, ubi unum sternutamentum tantum fuerit, & malum illud, & portentosum profitentur: meis igitur nuptiis infelix absit auspicium.*

(a) Pontanus ibid. lib. VI. post pag. 250. *Paullo enim ante quam animam ageret* (Petrus Compater) *multa cum de Deo, deque animorum disseruisset æternitate, sic denique ad astantes nos, quos valere jubebat, conversus, & tamquam ultimo in actu constitutus, lingua etiam hebescente, dixit: Omnes quidem sermones inter notos, atque*

fixis quoque vetustis marmoribus Græce, & Latine inscriptis vel aliunde collectis, vel potius in hoc fanulo excitando in fundamentis repertis (*a*). Pontanus quæsitissimi ingenii pavimentum stravit figlino opere encausto pictum, exquisita varietate nobile ob sua stemmata, & uxoris, omnisque prosapiæ, imo & ob imagunculas majorum suorum, præter flosculos, & parile hujus generis ornamentum. Consuluit etiam, ut inferne grande hypogæum fabrefieret, in quo ex familia denati conderentur, apposita in scalari introitu brevi epigraphe, uti suus erat mos, ad antiquitatis indolem (*b*).

Neque in hoc Pontani pietas destitit, sed ut cultus, & hujus parvi Templi cura ad omnem posteritatem servaretur, ditandum ratus est annuo nummorum aureorum bis centum & septuaginta censu (*c*), quæ

que amicos esse suavissimos, illos vero multo suaviores, quorum materia Deus esset. Quocirca nos ipsos exhortatus prius, post etiam per Deum ipsum obtestatus rogabat, uti amicitiæ memores, quoties conveniremus, nostra omnis oratio a Deo inciperet, desineretque in Deo.

(a) Cl. Jacobus Martorellius Græca monumenta interpretamento honestavit, & Latialia bonam in partem, uti ait, ab inficetis hominibus infracta supplemento adjecto, quo par fuit ordine, collocavit. Sed quæ præstitit ipse, quæque dicenda uberius hac de sacra Æde, extremo huic libello adglutinata reperies.

(b) AB HOC PONTANORVM
CONDITORIO
NE MAS NE FEMINA
EX AGNATIONE
ARCEATVR

(c) Cæsar Engenius Caracciolus *Neap. Sacra*. Italice scripta pag. 65. Neap. 1624.

quæ tunc ætatis erat benemerenti uberrima voluntas. Præterea Joviani animus ad quæque recta facienda semper pronus adolescentularum honestarum periculo ob egestatem providit, cavitque, ut ab fani hujus curatoribus quotannis puellæ regionis, in qua situm est, haud levis dos, nimirum sex & triginta nummorum ex auro, diceretur (*a*), idque pium opus etiam disertis expresserat verbis æternitati sane commendandis: *Quid enim aut Deo potest esse acceptius, quam imbecillum sexum adjuvare? aut gratioris, utiliorisque in civitate exempli, quam prohibere, ne, quod unum, ac præcipuum mulieris bonum est, pudicitia, egestate expugnata, diripiatur?* (*b*). At proh rerum, temporumque vices! tam præclarum munificentiæ Pontanianæ, ejusque nominis monumentum, quod exteri sartum, tectumque in ævum voluissent, vel ætatis malignitate, vel curatorum parum sincera fide maxima annorum intercapedine situ squalidum, sentum, omnique religione desertum emarcuit, non sine doctissimorum hospitum ad illud invisendum longe gentium confluentium indignatione ad nostrum civium ludibrium (*c*). Donec tandem in hac temporum felicitate ad Caroli tunc Neap. nunc Hispanorum Regis providentiam provocatum est, cujus justo, pollentique imperio an. 1759. Templo prisca dignitas adscita fuit ingenti civium, & convenarum gratulatione, ac præconiis.

Juxta

(a) Engenius ibid.

(b) Pontanus *de Liberalitate* tom. 1. pag. 109.

(c) Inter exteros longe gentium, qui Pontani virtutem, & sapientiam sunt admirati, & pæne dixerim, nobis invidere visi sunt, cum primis Philippus D' Orvillius, vir ingentis eruditionis accensendus, qui hanc Pontani Ædem docto, & laborioso carmine honestavit, quod in fine adjiciam, & Ædis faciem Amstelodami ære incidendam curavit.

Juxta hoc ſuum gentile fanulum Pontani domum exſtitiſſe adhucdum fama perennat, & ex monumentis certi ſumus (*a*): illam & dignitatis plenam dicas, quippe quæ in noſtræ urbis regione multis nominibus clariſſima ſita, præſertim ob Græcanicum nomen φρητρία Ἀρτεμιτίων (*b*): quam domum amplitudine ſua plurimum loci ſpatium impediviſſe opus eſt, cum porticu, ambulatione, hortis, egregiaque Turri cincta decoraretur: præterquamquod illa frequentem ſummorum virorum cœtum Academicas exercitationes celebrantem excipiebat (*c*). Domus introitum illuſtri tituli monumento honeſtaverat Pontanus, in quo cuique arridet, quod inter cetera ſe ipſe dicit *priſci reliquias temporis* (*d*).

At

(a) Pontanus Dialogo *Ægidius* tom. 2. pag. 155.

(b) Quantæ celebritatis ſit ea vox ab Ἄρτεμις, *Luna*, uti omnibus notum, unde nati apud noſtrates olim Græcos Ἀρτεμίσιοι φρήτορες, docent, qui patriarum antiquitatum ſunt promicondi: eos hanc urbis noſtræ regionem occupaſſe præter cetera firmat lapis, qui Græce loquitur, quem & Capacius affert, eaque de re nos admonet *Hiſt. Neap.* pag. 75. Quin & via prope Pontani Templum adhuc audit *via Lunæ*, uti habes a pleriſque rerum noſtrarum ſcriptoribus.

(c) Reviſenda, quæ de Academia diximus pag. 22.

(d) Pontanus ibid. *Ejus ipſius Joviani hæ ſunt ædes, ejus ipſius Turris, ac frequentata porticus. Titulum jam examino oculis, acie jam percurro, jam recito.*

HAERES SVCCESSOR DOMINVS HARVNCE AEDIVM
QVIQVI FVTVRVS ES NE TE NE PVDEAT VETERIS
NEV PIGEAT DOMINI HAS QVI SIBI PARAVIT COLVIT
IS LITTERAS COLVIT ARTES BONAS COLVIT ET
REGES COLVERVNT EVM PROBI IVVENES SENES
PROBI PROBAVERVNT ET DOMINI INTEGRITATEM
FIDEM MORES ANIMI BONOS ETENIM TALIS FVIT
IOVIANVS PONTANVS PRISCI RELIQVIAE TEMPORIS
VIXIT IPSE ET SIBI ET MVSIS SIC VIVAS IPSE ET TIBI
ET TVIS SIC LIBERI SVPERENT QVI SI LAPIDI HVIC
INIVRIAM INIVRIVS FECERIS IRATI DII SINT TIBI.

At nunc ob rerum alternationem, & dominorum vices ne veſtigium quidem intueri datur (*a*) : imo infractus & ipſe titulus, quamvis ei, qui injuriam feciſſet, diras irarum plenas a Superis Jovianus obnunciaverit.

Nunc mihi mens ſuggerit, ut de ſua *Antiniana* villa pauca adſcribam. Inter occiduam, & boream plagam collis amœniſſimus Neapoli imminet, qui vulgo *Antinianus* audit, a quo non procul *Patulcius* eſt (*b*). Eo in colle ad ruſticandum Pontanus elegantiſſimam villam ſibi conſtruendam accuravit, donavitque nomine *Antiniana*, uti plus ſimplici vice carminibus commendat (*c*); & mira illa ingenii ubertate eam fingit Nympham, *& decus Heroinon* (*d*). In eam ſe ab obſtre-

(a) Celanus noſter, licet ejus fides ſæpe ſubleſta ſit, illevit tom.1. par.2. pag.148. Neap.1724. Pontani domum heredum nomine alios acquiſiviſſe; inde poſſediſſe *Regentem Rovitum*, mox *Spinellorum* gentem, demum illam nactum eſſe *Theoræ* Principem. Præter hæc Celanus adjicit in hujus Principis domo vividam Pontani e marmore effigiem conſpici, at quamvis a me curatum ſit perquirere, ut eam intuerer, certior ſum, aut id finxiſſe, aut aberraſſe.

(b) Petrus Summontius *explanat. locor. aliquot, &c.* quam legere eſt in fine Joviani carminum pag. 3705. *In monte, qui Neapoli ab occidente imminet, locus eſt Antinianum nomine, nec procul inde eſt Patulcium, ubi ſepulcrum oſtenditur Virgilii : quæ duo loca ſub Antinianæ, & Patulcidis Nympharum nomine Pontanus ſæpenumero celebrat.*

Collis *Antinianus* corrupto nomine pro *Antanianus* fortaſſe, quod ſit contra *Anianum* lacum, nam antequam effoderetur crypta Neapolitana, per ipſum collem via ſilicibus ſtrata ad ipſum lacum, & ad Puteolos adibant : aut potius *Antonianus*, quod inibi villam *Antonius* triumvir habuerit; eumque Neapolitanos, Cumanoſque inviſiſſe inquit Tullius ad Atticum lib. X. epiſt. 13. *Patulcius*, inde Nympham facit *Patulcida* uber indoles Pontaniana, eo quod is collis longiſſime planus ſit, & *late pateat*.

(c) Videſis inter cetera verſus *Lyricos* pag.3529. uſque ad 3534.

(d) Pontanus *Lepidinæ* in *Pompa* VI. pag.3220. canit:

Ecce

ſtrepentibus curis plerumque recipiebat, quam & a militia regreſſus ſalutabat (*a*). Quantis in amoribus ipſam habuerit, quantiſque deliciis honeſtaverit, ejus carmina abunde præſtant, & præter ſalientes, & vivaria, in viridicata ſylva cuniculos, lepores, capreolos, apros ipſos, qui ſunt venationis, & epularum ſuavitas, concluſerat: additis hortis myrtorum jucundiſſimis, & longa citriorum ſerie odoris, quæ poma adeo ſibi cara, eſuque grata, ut de eorum cultura binos carminum libros mira felicitate, ac fluenti facilitate adornaverit, *Horti Heſperides* inſcriptos (*b*). Neque ipſe unus his apparatiſſimis deliciis fruebatur, ſed cum amicorum ſelectioribus, quos ſæpe ad prandiorum, cœnarumque hilaritatem carminibus invitabat (*c*), & menſa doctis ſa-

Ecce venit formoſa, venit decus heroinon,
Et myrto dives, ſerpilliſque inclyta virgo,
Clara thymo, longeque etiam clariſſima melle
Antiniana, ruunt hujus fama undique amantes,
Et bona pars ſine dote petunt connubia Nymphæ,
Ipſa ſeni blandita, ſenem cupit, hujus ab ore
Et choreas agit, & carmen meditata per hortos
Læta canit: ſtupet ad ſepem mirata juventus.
Hinc ſola incedit, paſſuque elata ſuperbo,
Invitatque ſenem, & ſuſpiria ridet amantum....

(a) Idem *de Amore conjugali* lib.II. pag.3342.

(b) Eoſdem libros inſcripſit Pontanus *Franciſco Conſagæ Marchioni Mantuæ.*

(c) Jovianus ad Hieronymum Carbonem, *Eridani* lib. I. pag. 3588.

Fictilibus ſi cœna placet tibi, candide Carbo,
Cœna parata tibi eſt, ruraque noſtra patent.
Et penus, & virides horti, genialis & umbra,
Quaſque ſuas pandit citria ſylva comas.
Vina mihi deprompta, & lecta, & grata bibenti,
Aurea ſive probes, ſeu mage nigra placent.
Lenis aqua, ſimplexque latex, & fertilis urna:
Certet ut inde merum, pugnet ut inde latex.

 Ver-

facetiis, coctoque sermone bono, qui mos longe ab hodierno comissantium luxu exsulat, condiebatur: prandiorum apparatum Catullianis gratiis contra ipse in subjecta poesi describit. At malignitate fortunæ Pontanianum hoc prædium paucis post annis ab ejus obitu a prisca hilaritate descivit, omniaque vepribus, dumisque exhorruere, ut jure tantam indoluerit vicem festi-

Vernarum mihi fida manus tibi nota ministret,
Marmaricosque agitet barbara turba choros.
Fictilibus tibi mensa, abacusque nitescet acernus,
Nullus in extersa non erit æde lepos.
In primis frons læta, & grati ad pocula lusus,
Et culti, & nulla rusticitate sales.
Principio gravidis ponentur lecta canistris,
Quæ tulit autumnus, quæ meus hortus alit:
Roscida erunt, matura & erunt, & sole recocta,
Quæque sua carpsit Antiniana manu.
Hinc ponetur avis, fallacis præda coloni,
Primaque, cui nomen ficus amata dedit.
Pingui jure natet, falsaque immista suilla.
Condiat & tritum lauta patella piper.
De lanio nihil hic, nihil e caupone morare,
Rura dabunt, quicquid nostra culina coquit.
Altilis inde capus, raptique a matre columbi,
Anser & implumis, & bene pastus anas.
Post tener, & lactens, & primis cornibus hœdus,
Quem corno, & ceraso farserit apta manus.
Forsitan accedet callosum tergus & apri,
Aut celeris catuli, devia præda, lepus.
Certus at in verubus fumat jam porcus, obeso
Et turdo, & merulis, atque palumbe satur.
Cuique suus præsto sapor, aut quem cœrula limon
Temperet, aut quem dant punica pressa, liquor.
Seu quem bacca liquat myrti, liquat herba virentis
Serpilli, aut dulci corna recocta sapa.
Peltrius accedat tecum: te culta Patulcis,
Illum pro foribus Antiniana manet.
Nec desunt vina, & lances, mensamque secundam
Qui curent, missas nec sine lege dapes....

festivis versibus Sannazarius (*a*). Verum Petrus Osorius Defigueroa, vir ingenii ad maximorum hominum memoriam honestandam inclinantis, eorumque vestigia prementis, hujus Pontanianæ villæ possessor, quod noverat ipsam tot sapientibus viris, & duobus Regibus celebratam in antiquum nitorem restituit an. *1626.* quo & genio suo, & amicorum indulgeret, teste scripto marmore, quod adhuc contra sæculi edacitatem in vestibulo domus viatoribus se prodit (*b*). At ætate nostra intueri est eo in amœnitatis prædio omnia situ obsita, ac squalore, & vix unus, aut alter loci dignitatem noscit, ac reveretur.

Præter hæc Jovianus quotannis domi suum natalem diem, nomenque jucunde celebrabat una cum doctissimis amicis, convivis, & bene acceptis, quos erudita, & suavi per omnem diem consuetudine detinebat (*c*). Quin & Martinalia, quam vocem ipse castæ Latinitatis more cudit, familiaribus indicebat (*d*): nam cui-

Tu modo linque forum, linque & vadimonia Carbo
Tantisper, tibi dum rustica cœna datur.

(a) Jacobus Sannazarius in *Arcadia* Ecloga XII.
Antiniana, e tu perchè degeneri?
Perchè ruschi pungenti in te diventano
Que' mirti, che fur già sì molli, e teneri?

(b) Pro foribus hujus prædii, quod hodiedum *Dianæ* Ducis est, hæc habes:

PRAEDIA AEDES ANTINIANAE OLIM IO. IOVIANI PONTANI
FERDINANDO ALPHONSOQVE REGIBVS AC SAPIENTIBVS
H. CELEBRES
HEV TEMPORVM INCVRIA ATTRITAE
DON PETRVS OSORIO DEFIGVEROA
POMARIA VIVARIA PALATIA
GENIO SVO CANDIDIS AMICIS CVNCTIS MERENTIBVS
LAETIORA LATIORA RESTITVIT A. D. MDCXXVI.

(c) Alexander ab Alexandro *Genialium Dierum* lib. I. pag. 1.

(d) Pontanus *Bajarum* lib. I. pag. 3467.

cuique nostrum sat notum diem VII. Non. Novemb. D. Martino Ep. Turonensi sacrum multis civitatibus exspectatissimum opipare, ac jucunde consumi (*a*). Ita Pontanus huic hilari instituto indulgens indolem suam vincebat ad asperum quid magis pronam, quam ad jocos, ac festivitatem (*b*). Hanc animi aliquantulam duritatem, sive gravitatem dicas, quibusdam oblectamentis leniebat, præsertim *Asterione* suo, catulo, quem in deliciis habuit, & quocum jocari solitus: illum fortassis eo nomine decorandum voluit, quod quadam albescente macula ad astri speciem frontem insignem gereret: inde, morte obita ipsum inter cælestes orbes selectis carminibus collocavit (*c*).

Redeundum mihi est ad seriem annorum, quo vita tan-

(a) Morem majoribus, ac selectioribus dapibus hunc diem celebrandi a Gallis nos accepisse docet ipse Pontanus *Eridani* lib. I. pag. 3583. Minime prætermittendum est doctiss. P. Carmelum in lib. Italice scripto *de variis ritib. sacr. & profan.* tom. 2. pag. 85. in longiori diatribe de origine horum *Martinalium* in Pontanum furenter iratum assurrexisse: *Qui non è altresì da tacere lo sbaglio, o la malizia del Pontano, che in guisa molto peggiore (d' Arrigo Stefano) favella della festa di S. Martino . . . . l' errore di chiamarla festa di S. Martino è del volgo, non sapendosene l' origine*. At parcius, ac decentius tanto viro, præsertim poetæ, licet nimium lusitantis, personam induto, non autem historici, id objectare quivisset. Ceterum lubens ferat Carmelus, si pro Pontano breviter reponamus, nos longe demirari, ne addam, subirasci eam in elegantem sane diatriben non corrogasse, quæ doctiss. Card. Baronius tom. 7. an. 580. pag. 583. lit. E. Romæ 1596. *de Martinalibus* congessit, & potis erat Antonius Vulpius, qui carmina Joviani ei suffecit, subdere etiam, quæ Baronius collegerat: profecto mitius in poetam nostrum se gessisset Carmelus.

(b) Pontanus Dialogo *Ægidius* tom. 2. pag. 156. *Ego meopte ingenio minus sum jocis deditus, ac festivitati*.

(c) Idem in *Urania* lib. III. pag. 3005.

tanti viri ordine incedat suo, a quo parum ejus sacra Ædes, nec non domus, & Antiniana villa veluti distraxerat: etenim urgent jam graviora. Ab Pontano in eminenti a Regis secretis magistratu maximis sanctimoniæ experimentis datis, Alphonsus Calabriæ Dux imperium Regni adeptus post Ferdinandi parentis fatum an. 1494. tantum virum eo in munere confirmandum huic maximæ curæ parem voluit, ratus præmium pro ingentibus meritis (a). Quanti fecerat Pontanum Alphonsus tum ob ejus doctrinam, miramque prudentiam, tum quod lubricum adolescentiæ suæ, uti antea dictum est, sapientissime rexerat, sat mihi eloquentiæ optarem, quo palam id facerem: unam ex multis his honorum significationibus proferre mihi satis sit. Exstruxerat is Princeps *Prætorium* (b), tum ob loci amœnitatem, tum ob liberalem cujusvis cultus magnificentiam, præter grandem librorum vim, spectabile, uno lapide procul ab Neapoli situm, cujus adhuc superant prægrandes reliquiæ via, quæ Nolam ducit, in quo æneam Pontani statuam inter ceteras delicias collocavit: inde ad tanti Ducis amplitudinem,

ac

(a) *Ex Regist. Cur.* 4. *Regis Alphonsi II.* an. 1494. pag. 121. & 196. in Cancellaria, a quibus monumentis certi sumus Pontanum supremo a Secretis Regis magistratu floruisse: quæ quidem monumenta consulenda mihi tradidit lubentissime Antonius Claritus Reg. Cameræ Tabularii custos, rerum medii ævi callentissimus.

(b) Duas Regias domos, sive Prætoria animi gratia exstruxisse Alphonsum II. ait Jo.Ant. Summontius *histor. Neap.* lib.V.tom.3. pag. 434. alterum intra urbis mœnia, in regione, quæ audit *Duchesca*, cujus tamen nulla supersunt vestigia: alterum haud procul ab urbe, quod perperam salutant *palazzo della Regina Giovanna*: in hoc siquidem Pontani statua ostendebatur, teste divite Francisco Asulano in Epist. *ad Averoldum Præsulem Polensem* apposita initio Joviani oper. *Alphonsus enim junior Neapolitanus Rex, cum prætorium prope Neapolim exstruxisset, &c.* Æneam igitur imaginem illam erectam

in

ac gazas invisendas viris principibus festinantibus, nil pretiosius, ac carius se habere eisdem dictitabat, quam magistri sui imaginem, verbis usus splendidissimis, quæ, licet aliena, peccarem sane si minime attexerem: *Is est, quem in omni genere amplissimum esse & volumus, & judicamus. Is est, quem præceptorem habuisse loco summi beneficii, & honoris ponimus. Is est, cui summa omnia tribuimus. Hunc unum ex omnibus Italiæ doctissimis viris ita fictum habere voluimus, ad nostraque secreta admittere solemus, tum propter excellentem litteraturam, vitæque integritatem, & morum sanctimoniam, tum etiam propter incredibilem constantiam, & gravitatem, atque singularem in rebus gerendis industriam, & fidem. Hæc res est, quam postremo spectandam omnibus exhibemus, ut omnium honorificentissimam, & carissimam* (*a*). Insigne, & antiquum Ducis in magistrum, tantæque dignitatis virum remunerationis exemplum. Ejusdem in Pontanum officii æmulatorem se præstitit Federicus Princeps Alphonsi frater, *nam dum exercitum ductabat, ingressusque cum esset Pontanus prætorium, in quo Præfecti omnes consedebant, assurrexit Pontano Federicus, & tacere omnes jussit, en adest, inquiens*, MAGISTER (*b*).

Jovianus auctoritate, ac fama nobilis, & solummodo eum Regis fastigio præumbrante (*c*), tot claritatis suæ lu-

in prætorio extra urbem certo scimus. Piget me Asulanum appellasse tunc temporis *Regem* ipsum Alphonsum, cum esset Calabriæ Dux, uti ex Angeli Costantii *histor. Neap.* lib. X. pag. 244. atque ex Summontio ibid. colligimus.

(a) Asulanus ibid.

(b) Pontanus *de Sermone* lib. V. tom. 2. pag. 240.

(c) Apostolus Zenus contra omnem historiæ fidem in *Vofs. differt.* tom. 2. pag. 175. scribit Pontanum Neapoli *Proregia* functum auctoritate, quo de magistratu ne verbum quidem reperire est.

luminibus turpi facinore obstruxit, ac fortunam pessumdedit: & quis postea non præsentibus adversa, contrariaque exspectatis aut speret, aut timeat? Etenim cum sequenti anno Regno se abdicasset Alphonsus, secessit in quasi peregrinum otium (*a*), dominationemque filio Ferdinando II. reliquit, qui Pontanum in summæ dignitatis, qua fungebatur, gradu retinuit (*b*): mox Carolus VIII. Gallorum Rex, fugato Ferdinando, Regnum indeptus est: & antequam Neapolim ingrederetur, nuncium præmiserat, qui suo de adventu cives commonefaceret: atque huic continuo Pontanus Regni claves obtulit, Capuani, ut ajunt, etiam Prætorii, sive Castri, ea siquidem tunc erat Regia domus, potestate concredita (*c*).

At Carolus sibi metuens ob quorundam Europæ principum fœdus, qui una conjuraverant, bellumque paraverant, ut statim ipsum e Regno deturbarent, (in quo parumper commoratus est) in Templum maximum se contulit, quo majorum more, ac instituto Regiis ornamentis decoraretur. Tunc sane Jovianus, quem selegerant, ut ordinis populique verbis in eodem Templo oratoris partes impleret ad dicendam novo Regi felicitatem, vel dolore injuriæ, quod Caleni, aut Polycastri dominium consequi haud quiverat, quod appetierat, vel quod veteri, ignotoque nobis in Aragonenses odio flagrabat,

(a) III. Non. Febr. Alphonsus e nostro littore solvit versus Mazaræ oppidum in Sicilia, ubi in Montis Oliveti Cœnobio vitam sancte, casteque vixit. Franciscus Guicciardinus *histor. Ital.* lib.I. pag. 57. Venetiis 1568. Ludovicus Antonius Muratorius *An. Ital.* tom. 9. an. 1495.

(b) Joannes Antonius Summontius ibid. lib.VI. pag.510.

(c) Camillus Tutinus ibid. pag. 247.

bat, vel ut egregie de Gallis mereretur, vi eloquentiæ, qua ipse vigebat uberrima, hos Reges conviciis proscidit, veluti immemor satietatis gloriæ, ad quam ipsum provexerant: e contrario quantis maximis laudibus ad gentem Gallam extollendam aggressus est (*a*). Sed humanis rebus animi volubilitate, quæ sæpe ad infamiam homines trahit, illudi non potest; etenim ab fœderatis principibus exactis a Regno Gallis, quod cum iterum recuperasset Ferdinandus junior, studio in Jovianum ad invidiam converso, a quovis munere dejecit, in cujus locum Chariteus suffectus est (*b*). Profecto sero sensit Pontanus neutiquam in Reges exsuendam esse fidem, ob tale facinus haud parva nomini suo turpitudinis macula illata.

De privata tanti viri vivendi ratione dicturo multa mihi suppetunt, at omnia tam festinanti neque vacat eloqui, neque, cui vacat, posset. Ipse porro ancipites reliquit posteros, in florenti fortuna magis, an in adversa commendandus: uti olim de Junio Blæso certatum est, utiliorem se in castris præstiterit, an meliorem in toga. Quanam liberali, ac magnifica animi moderatione se ab ea fortunæ abundantia privatum tulerit, laudandum sane, si meam dicentis infantiam ipsius Pontani eloquentiæ posthabeam (*c*). Por-

(a) Franciscus Guicciardinus ibid. lib. II. pag. 80. Paullus Jovius *Elog. Sannazarii* pag. 96.

(b) Ex diplomatibus autographis, quæ domi servat Ant. Claritus, ac mihi humanissime legenda præstitit, novi Chariteum Pontano successisse, eaque ita subscripta deprehendi: *Rex Ferdinandus. Chariteus Secretarius.*

(c) Pontanus *de Obedientia* lib. I. tom. 1. pag. 7. *Nec pro honoribus, magistratibus, imperiis ita contendere velitis, & digladiari, ut aut honestas deseratur, aut non interdum deponendi plus valent, quam accipiendi ratio, quod viri fortis est, vereque magnanimi, non in honoribus, aut magistratibus decus illud positum judicantis, pro quo*

Porro Jovianus, quem jam Carolus VIII. urbe potitus a Regiis, ac Regni administrandis rebus omnino dimoverat (*a*), jampridem animo præconceperat, quin & curaverat ab amplissima principum consuetudine abesse, seque a tot publicis negotiorum molestiis abducere, quieti potius sibi visum consulere, quam famæ: hinc cum ter se ab Ferdinando I. Rege honesta missione donari expetisset, quo functus splendidissimis jam ministeriis tandem uni otio, & litteris vacaret tranquillus, postulationi nil pronus is princeps voti, consiliique compotem numquam fecerat Pontanum (*b*) usus tam navo prudentique adjutore ad publicam rem regendam.

Itaque ea ingenti curarum mole subductus vir priscæ hilaritatis ad privatam domesticamque vitæ rationem aggressus est, de æquabilitate, & constantia semper meritus, & qui in quibusvis ærumnis invictam animi celsitudinem gessit; hac in re mira ejus eloquii vi utendum reor, in cujus verbis inest sane nil fucosæ veritatis ni-

quo præstantibus viris omnis solet esse contentio, sed in honestate, & pulcritudine animi, qui non ad opinionem vulgi, sed ad conscientiam seque, suaque ipse referens, non videri quidem, sed esse talis vult. Scit enim nihil fictum, nihil fucatum posse cum fortitudine convenire, in qua sint stabilia, & firma omnia, contra in illis levia, & caduca. Cavere etiam studiosissime oportet, ne secundis elati, & rerum copia affluentes, in luxuriam, superbiam, impotentiamque dilabamini, quæ vitia fortibus viris omni sunt studio fugienda, quippe quibus illud propositum esse semper debet, ut nullis animi perturbationibus, affectibusque vincantur. Quid enim turpius, quam quem adversa nequiit fortuna frangere, eum frangat secunda? aut qui morti, quæ cum decore futura sit, non cesserit, cedat iræ, libidini, inclementiæ, crudelitati? Hæc præcepta servantem, licet fortiter, viriliterque & vivere, & mori: contra vero adversantem eis, abjecte, inconstanter, effeminate.

(a) Pontanus *de Prudentia* lib. I. tom. 1. pag. 166.
(b) Idem ibid.

nitor: *Quo in otio, & Cælitibus ipsis mihi frui videor, & in ea tranquillitate vivere, ut & nunc demum & mihi ipsi, non Regibus videar omnino vivere. Possum itaque ex me ipso fidem vobis facere, bene constituto homini nihil esse optabilius, quietius, felicius, quam ubi ab negotiis, civilibusque administrationibus honeste secedenti otium contigerit, in quo mente fruatur, idest divinorum Numinum familiaritate, atque amicitia* (*a*). In eo vitæ genere a Regum negotiis procul beatissimum ab iis amotum adeo numquam pœnituit, ut an.1501. magistratum, in quo maximas sibi quæsivisset opes, ab Ludovici XII. Gallorum, & inde Neap. Regis Præfecto oblatum lubentissime recusaverit, testatus senectutem se non locupletiorem, sed occupatiorem acturum, quando benignitate Superum sibi honestæ satis fortunæ suppetebant (*b*). Ratus igitur id temporis idoneum studiis litterarum indulgendi, totum sese iis abdidit: hinc clarissimis viris Tristano Caracciolo, & Francisco Puderico hortantibus (*c*), qui fuere par selectissimum amicorum, quinque libros *de Prudentia* scripsit, eisdemque dicavit. Et ut Andreæ Matthæi Aquivivi Hadriensium Ducis optatis responderet, grande volumen *de Rebus Cælestibus* absolvit, quod ob publici ministerii onus spatio annor. 20. intermiserat (*d*). Ejus ingenii ubertas protulit etiam libros sex *de Sermone* annos natus tres & septuaginta (*e*), quos inscripsit eloquentissimo Jacobo Mantuano e Divi Dominici familia. Denique vir scribendi quæque capacissimus ætatem

(a) Idem ibid. post pag. *166*.
(b) Idem dialogo *Ægidius* pag. 170. tom. 2.
(c) Idem *de Prudentia* lib. I. tom. 1. pag. 147.
(d) Idem *de Rebus Cælestibus* lib. I. tom. 3. pag. 97.
(e) Idem *de Sermone* lib. I. tom. 2. pag. 185.

tem an. 75. transgressus dialogum *Ægidius* nomine exaravit (*a*), eo quod Ægidio ex Eremitis Divi Augustini, viro ob multiplicis doctrinæ famam spectatissimo, hinc ob merita ejus Julii II. Pont. indulgentia universo suo Ordini præfuit, atque ab Leone X. inter Cardinalium virorum Senatum allectus, nuncupaverit (*b*).

Quoniam autem viri ad tantæ virtutis, & doctrinæ exemplar geniti amicis sibi simillimis non carent, nunc urget opportunitas, ut de bene multis maxima fama, & generis splendore, quibus Jovianus semper effloruit, paucos seligam, atque arcta brevitate recenseam. Quorum princeps sit, qui illum in præcipuo honore habuit, & familiarissime a juvenilibus annis usus est, Antonius Panormita: huic Pontanus dialogum inscripsit *Antonius*. Neque prætereundus Laurentius Valla, cujus nomen in eruditorum censu tantum inclaruit: hic cum Neapolim Alphonsi I. Regis honestandi gratia advenisset, Joviani adhuc adolescentis indolem demiratus, cum eo plurimam sancivit amicitiam (*c*). Par carius amicorum præ Sannazario, ac Pontano haud scio an invenire sit in historiis: in eo siquidem Actius requiem plenam oblectationis reperit. Quantum

(a) Procul dubio evincitur hac tempestate, nimirum an. 1501. *Dialogum* hunc scripsisse, nam pag. 156. loquitur de Petro Compatre *nuper mortuo*. Vide hujus libelli pag. 44.

(b) Paullus Jovius in *elog. Ægidii* pag. 103.

(c) Pontanus *de Sermone* lib. I. tom. 2. post pag. 193. scribit de Laurentio (quem Vallensem appellat): *Homo maxime studiosus, quem senem adolescens ipse noverim, cumque e Roma se Neapolim contulisset ad Alphonsum Regem, & inviserim etiam reverenter pro illius, meaque ætate, & plures post congressiones maxime familiares, ita ab eo discesserim, uti ex eo de me nisi pleno, atque amico ore locutus fuerit numquam.*

tum otii , & temporis hi duoviri una contriverint , palam omnibus eſt . Quo cultu illum proſecutus ſit Syncerus, is unus non noſcit, qui in hujus carminibus hoſpes ſit, in queis, præter multas egregiæ exiſtimationis ſignificationes, *ſenem ſanctum* ſalutat (*a*). Viciſſim in Pontano parilis in Actium elucet amicitiæ virtus, qui dialogum *Actius* cognomento conſcripſit, nobiſque ſiſtit de poeticis numeris, deque hiſtoriæ legibus perquam egregie edilſerentem: quin ad eumdem in Gallia commorantem paullo ante obitum extremam ſuarum epiſtolarum, quod a Petro Summontio teneo (*b*), miſit (*c*). Vixit etiam conjunctiſſime cum Alexandro ab Alexandro, admirandæ eruditionis viro, qui non ſemel in immortali *Dierum Genialium* volumine Pontani ſui commeminit. Non obliviſcendus Joannes Ber-

(a) Lib. I. *Eleg. IX. v.97. de ſtudiis ſuis, & libris Joviani Pontani.*

(b) Ex verbis Summontii tom. 3. pag. 299. *Pontani epiſtola, qua de veterum libris judicat per Actium Syncerum inventis. Hanc ne ſine dolore legas, ultimam, lector, ſcias poſt innumerabiles alias, quas tum publicis, tum privatis de rebus, immortalitate dignus vir ille olim divinitus ſcripſerat.*

(c) Non abs re futurum reor epiſtolam hanc ſubjicere, quæ ibidem legitur.

Pontanus Syncero animi firmitatem D.

Quæ ad Pudericum ſcripſiſti, ea me mirificum in modum delectarunt, ſunt enim plena pietatis tuæ erga vetuſtatem, ac diligentiæ. Quo circa vel aventiſſime exſpecto videre Ovidianos illos piſciculos in Euxino luſitantes, Mæotideque in palude. Quod vero ad venationem attinet, viſus eſt mihi vates ille lepidus, numeroſus & cultus, deque eo, ſi recte memini, fit ab Apollinare mentio in hendecaſyllabis. Rutiliani illi verſiculi enodes ſunt, & nitidi, cultus vero ipſe peregrinus, potius quam urbanus, ne dicam arceſſitus. Sed de his omnibus, cujus erit judicium rectius, aut probatius, quam tuum? Ego, ut dixi, mirifice exſpecto Ovidianos illos ἰλωτας*, nobis incognitos, præſertim ſub quadrageſimale jejunium. Tu vale, & in iſto voluntario exſilio, ſeu potius peregrinatione dignam nobilitate tua fortitudinem retine. Neapoli Idibus Februarii MDIII.*

Bernaudus, qui sibi famæ plurimum, ac laudis depeculari visus est, quod binas litteras a Joviano, quarum adhuc prostat exemplar (*a*), acceperit. Angelus Colotius Bassus non modo coluit Pontanum vivum, sed & eidem mortuo statuam erigendam in animum induxit (*b*). Addas Petrum Summontium Joviano carissimum, quocum in Antiniana villa sollemne habuit sermones, qui de rebus naturalibus versarentur, serere (*c*): nec non Aldum Manutium, virum de re litteraria cum paucis egregie meritum, cujus doctrinam cohonestavit Jovianus, dum librum decimum *de Rebus Cælestibus* ejus nomine insignivit, & non unum ingenii sui opus ejus typis edendum concredidit (*d*). Quanta cum Petro Bembo etiam benevolentiæ magnitudo intercesserit, neminem latere reor: etenim ipsi librum septimum *de Rebus Cælestibus* inscripsit. Demum tanti æstimavit Jovianum Franciscus Pudericus Neap. Patricius, ut in isthæc plena amoris verba toties proruperit: *Aspicite vivum hunc, amici, dum licet: hujus, dum licet, aspectu exsaturate oculos, non multos dabitur intueri Pontanos* (*e*). Longior sane abiret sermo, si præterea, quæ arcta viguit consuetudo, adjiciam cum Francisco Gonzaga Mantuæ Domino, Roberto Salernitanorum Principe, Consalvo Ferdinando Magno, Paullo Cortesio, Antonio Gueguara Comite Potentino, Cosmo Puccio Florentinorum Præsule,

(a) In fine opusculi Bernaudi *Zotica* inscripti. Neap. per Joannem Jacobum Carlinum.

(b) Petrus Summontius in *epist. ad Angelum Colotium Bassum* apposita initio Pontani oper. *de Immanitate*.

(c) Pontanus *de Rebus Cælestibus* lib. VIII. tom. 3. post pag. 219.

(d) Petrus Summontius in epist. ad Actium Syncerum, quam legere est in volumine Joviani carminum Neap. edito an. 1505.

(e) Petrus Summontius in epist. adnexa dialogo *Actius*.

ſule, quos omnes aliquot opuſculorum nuncupatione honeſtavit.

At quamvis amicorum copia dives eſſet Jovianus, atque præter Reges, in primiſque Alphonſum II. Calabriæ Ducem, cujus nomen libris *de Fortitudine*, ac *de Principe* ornamento eſt, atque fere univerſis floruiſſet, quos in Academicorum albo ſuperne adſcriptos vides: intemperatam tamen, ut ita dicam, & veterrimam benevolentiam locavit in duoviris elegantiſſimi leporis Marino Tomacellio Neapolitano Patricio, & Petro Compatre, quem ut ait ipſe, laborum ſocium, ac ſtudiorum habuit (*a*). Quanta fuerit urbana, liberalis, ac feſtiva trina horum ſenum doctiſſimorum ſocietas, quantaque hilaritate affluxerit, intelliges ſumma animi voluptate ex Pontani eloquentia, ac verbis, quo ſi mea ſcribentis nil ſapiant, his condiantur: *Conſederant mecum meis pro foribus idem hic Marinus, & Petrus Compater homo jucundiſſimus, magna ſenectute tres, cano capite omnes, nullis dentibus, multis tamen, ac prope tercentenis annis. Præteriens igitur adoleſcentulus demiratus cum eſſet treis annoſos vetulos, albentibus capillis, maxime hilari vultu, & jocari cum prætereuntibus, & arridere ſalutantibus, hic Marinus in ipſa illa adoleſcentis admiratione tanto cum lepore Virgilianum effudit illud*,

Tercentum nivei tondent dumeta juvenci,

ut riſum non tenuerint, ſenem qui audierunt, eo in ſenſu tam opportune, adeo præter exſpectationem, ac perquam concinne modulantem. Iſque confeſtim riſus ingeminatus eſt, nam deriſui cum haberetur a nobis, qui præteribat juvenis obeſo corpore, obeſiori ingenio, maxime

(a) Pontanus dialogo *Ægidius* pag. 156. tom. 2.

xime obesis moribus, *tum a festivissimo*, *&* *perquam concinno juvene Petro Summontio*, *&* *festive admodum*, *&* *pervenuste injectum est Virgilianum aliud*, *quamquam dimidiatum e Georgicis*, Longamque trahens inglorius alvum : *ut protractus risus fuerit in Charitei adventum*, *qui animadvertens senum trium tam æqualem canitiem*, *quid*, *inquit*, *hic ad fores? an inalgescere cupitis? cum Alpes videamus nivibus oppletas undequaque concanescere* (*a*).

Hac vivendi ratione octo annorum curriculo, a publicis molestiarum curis absolutus, usus est sapientissime, nempe vel in cultu amicorum, vel in rei publicæ adjumento doctis libris, ac laboriosis scribendis. Interea mortalitatis memor Hieronymo Borgio, quem in quavis arte bona instituerat, breve hoc elogium, ac ponderosum sepulcro suo insculpendum commendavit (*b*), quod adhucdum in ejus sacra Æde visitur : VIVUS DOMUM HANC MIHI PARAVI, IN QUA QUIESCEREM MORTUUS, NOLI OBSECRO INJURIAM MORTUO FACERE, VIVENS QUAM FECERIM NEMINI : SUM ENIM JOANNES JOVIANUS PONTANUS, QUEM AMAVERUNT BONÆ MUSÆ, SUSPEXERUNT VIRI PROBI, HONESTAVERUNT REGES DOMINI. SCIS JAM QUI SUM, AUT QUI POTIUS FUERIM. EGO VERO TE HOSPES NOSCERE IN TENEBRIS NE-

(a) Idem *de Sermone* lib. IV. tom. 2. post pag. 228.

(b) Apostolus Zenus in *Voss. Dissert.* pag. 178. dum de Joviani obitu loquitur, his Hieronymi Borgii verbis utitur, qui lib. IV. hist. MS. *de bellis Ital.* ait : *Antequam decederet*, *Hieronymo Borgio suo alumno hoc epitaphium supra sepulcrum sculpendum dedit* : *Vivus domum hanc mihi paravi*, *&c.* Quisque videt, quam contraria sint, quæ exhibet Morerius in *magno Lexico hist. Pontanus s' étoit fait elever un tombeau magnifique*; *mais il oublia de mettre dans son testament*, *quelle epitaphe on y devoit graver des quatre*, *qu' il avoit composées*.

NEQUEO, SED TE IPSUM UT NOSCAS, ROGO. VALE (*a*). Demum annos natus septem ac septuaginta paullo post Alexandri VI. Pont. fatum diem supremum obiit, nempe an. 1503. media autumni tempestate (*b*), æterno suæ

(a) Exstant in lib. II. *Tumulor.* pag. 3430. hi sepulcrales versus, quos etiam sibi condidit Pontanus procul dubio ad musas excolendas, quosque, utpote sat elegantes, & feracis ingenii vim præseferentes, adscribendos reor:

Dic age, quid tumulos servas, Dea? nostra tuemur
Jura. Deos cinerum num quoque cura tenet?
Hæc mihi prima quidem cura est. Quid concutis alas
Usque? Fugo tenebras, quo vigeant tumuli.
Quid sibi, quæ collo pendet tuba? Nomen amico
Dat cineri, ad tumulos hac ego gesta cano.
Dic agedum, manes cujus hi? Vatis, at urnam
Officio posuit docta Minerva suo.
Hos tumulos Jovianus habet: quæ serta virescunt,
Lecta suis manibus disposuere Deæ.
Sed manes ne quære die: per amœna vagantur
Prata, sonat riguæ sicubi murmur aquæ.
Nymphæ adsunt, & adest dulcis Charis: aurea cantu
Fila movent: leni concinit aura sono.
Nocte illum complexa fovet nitidissima conjux,
Fervet, & a nulla parte refrixit amor.
Hæc illi comes in tenebris, quas vincit amoris
Lucia fax: gemina luce coruscat amor.

(b) Non unus mihi testis suppetit, quo ætatem hanc obitus Pontani firmem: præsto est Hieronymus Borgius in MS. ibid. *Paullo post Alexandri* (VI.) *obitum medio autumno, magnus Pontanus ad immortalem vitam migravit*. Idem sentit Paullus Jovius, qui & mensem indicat in ejus *Elog.* pag. 61. *Fato autem functus eodem mense, quo Alexander VI. vita excesserat*. Arridet id, quod chartis suis mandavit Schraderius *Monument. Ital. &c.* pag. 231. qui affert carmen, quod tunc temporis Pontaniano Templo adscriptum asserit:

soLVItVr eXCeLLens fatIs IoVIanVs In aVras,
at LIbros nVnqVaM parCa aboLebIt Iners.

Ex hisce versiculis, si simul coagmentes, quotquot vides majora elementa, atque ab littera M incipias, annum 1503. quo quidem mortuus est Pontanus, extundes. Hinc quisque demirabitur Vossium *de Scriptor. Latinis* pag. 607. hæc scripsisse: *Obiit autem* (Pontanus) *ata-*

suæ virtutis desiderio relicto: illatusque in gentile monumentum, quod vivens sibi paraverat (*a*). Piget me haud invenisse, qua honestatis pompa, ut moris est, tot amicorum maximi nominis pietas funus illius decoraverit. Sed ab locuplete teste scimus, quantis mœroris, & lacrymarum officiis tanti viri mortem prosecuti sunt ejus familiarissimi, ita ut & litteris luctu plenis absentes certiores fecerint se sapientissimum, jucundissimum, ac carissimum senem, Academiæ suæ patrem amisisse complorantes (*b*). Virilem prolem non reliquisse Jovianum certo constat (*c*); duos enim natos habuit Lucium Franciscum, & Lucilium, quos vivus composuit felices (*d*).

Haud mihi allaborandum fuit, ut corporis formam ex sui

ætatis suæ 78. *Christi an.* 1505. *eopse mense, quo Papa Alexander VI. decessit:* pro certo enim habetur Alexandrum VI. undec. Kal. Septembr. an. 1503. e vita cessisse. Jure igitur asserui Pontanum *annos natum septem, ac septuaginta diem supremum obiisse media autumni tempestate an.* 1503. fretus præsertim auctoritate Hieronymi Borgii, qui & morienti Joviano assederat.

(a) Quis autem non satis diu indoleat, neque in Pontani fano, neque in hypogæo ejus cineres, perquam sollerti cura adhibita, reperiri haud quivisse: sicuti uxoris Adrianæ, & filiæ Luciæ ossa inventa sunt, & decentibus loculis composita. Porro quis mihi intercedat, quin suspicer ad superiorum temporum dedecus, ab sacra Æde omni religioso cultu amoto, propterea quod in hypogæo perditissimos homines, ac capitales se occuluisse narrant, quibus in more est omnia sursum deorsum pervertere, quieto Pontani cineri injuriam fecisse?

(b) Bernardinus Tafurius in libello Italicè conscripto *de Scientiis, atque artibus, &c.* pag. 150. affert verba Antonii Galatei in epist. MS. *de morte Pontani* ad Hieronymum Carbonem: *Potuisses unquam, mi Carbo, credere quot lacrymas, & gemitus attulerint mihi primo aspectu tam tristes, ut scribis, & ut par est, litteræ tuæ, in quibus sapientissimi, jucundissimi, ac carissimi senis, patris Academiæ nostræ Joviani Pontani mortem deploras.*

(c) Vide adnotat. hujus libelli pag. 26.

(d) Legas, quæ diximus pag. 29. lit. (a) & pag. 34. lit. (a).

fui ævi hiſtoricis ſcrutarer, cum Jovianus ipſe illam bonis eloquii ſui coloribus illeverit: *Fuit itaque bona, & recta ſtatura, fronte lata, calvo capite, ſuperciliis demiſſioribus, acuto naſo, glaucis oculis, mento promiſſiori, macilentis malis, producta cervice, ore modico, colore rufo, adoleſcens tamen perpalluit, reliquo corpore quadrato. Unum nunc illi male contigit, nobis amicis non incommode, quod pede altero debilior cum ſit factus, in deambulationibus remiſſior futurus eſt* (*a*). Verum ipſe, quamquam non unas Pontani effigies vividas cives ſe nactos eſſe jactent, eam huic libello affigendam ratus ſum perquam germanam, utpote Sannazarius exprimendam curaverat, quæ ſane aut omnino, aut maxima ex parte reſpondet his Joviani verbis; & quo pacto eam fortuna mihi obtulerit, infra adjectum eſt (*b*). Elegans, & temperatum ipſius

(a) Pontanus dialogo *Antonius* tom. 2. pag. 89.

(b) Scio multas Pontani effigies a poſſeſſoribus civibus, & peregrinis oſtentari, vel pictas, vel fictas, & quiſque ſuam nil dubiam inculcare ſatagit: attamen ego hac in re deprehendi omnes ſimul conferens tot vixiſſe Pontanos, quot imagines nobis objiciunt; etenim nullum vidi inter ipſas ineſſe inſtar, utpote ab alienis, diverſiſque perſonis expreſſas. Præ ceteris illa celebratiſſima eſt, quæ in templo Olivetanorum viſitur in Sacello Gentis Oriliæ, ubi Chriſti Domini Sepulcrum intueri eſt, atque deprædicant Nicodemum exhibere nobis Jovianum, Joſephum vero ab Arimathæa Sannazarium, ex argilla ad humanam, quanta eſt ſtatura, effictos: quin in libris id noſtros poſteris tradere nil pudet. Porro non tanti erat opinionem hanc tamdiu præjudicatam continuo exſuiſſe, quando quiſque novit hanc Joſephi effigiem tanto abſimilem Sannazarii protomæ ex marmore, quæ in ejus miræ artis ſepulcro impoſita eſt, quanto ipſe vir Arimathæenſis erat Actii vultui diſpar. Non me fugit hujus erroris tam conſtantis, & quem præfracte tuentur, in cauſa fuiſſe Engenium Caracciolum in *Neap. Sacr.* pag. 510. quem neſcio quanam excogitandi libertate binas illas ex argilla ſtatuas Sannazarii eſſe, & Pontani ſcribere non pœnituit provocantem ad Raphaelem Borghinum, & Georgium Vaſarum: quando ne verbum quidem apud Borghinum in lib. qui inſcribitur *il Riposo*; & Vaſarum ſibi omnino adverſum non animadvertit: iſthæc enim is in

ipsius Pontani dicendi genus mihi optarem, quo ejus animi faciem, ingeniique dotes expromerem, sed lubentius quivis in tot scriptis ab ipso operibus deprehendet. Quamvis autem austerum præ se ferret supercilium, sermone erat jucundus, ac perurbanus (*a*); elucebatque in eo mira eloquentia, ac facundi oris gratia, qua ejus volumina exuberant. Sed nemo Petro Summontio felicior de ejus elegantia sermonis acceptissimam protulit sententiam: *Genus autem dicendi, in quo maxime ætas nostra decipitur, ita ad antiquorum imitationem effinxit, ut nihil te in eo peregrinum offendat, nihil conquisitum, atque, ipse dicere solebat, violatum, sed unumquod-*

in *Vitis Pictor. &c.* tom. 1. pag. 352. Florentiæ 1568. adnotavit: *Modanino da Modena, il quale lavorò al detto Alfonso* (loquitur de Alphonso I.) *una Pietà con infinite figure tonde di terra cotta colorite, le quali con grandissima vivacità furono condotte, e dal Re fatte porre nella Chiesa di Monte Oliveto di Napoli, Monasterio in quel luogo onoratissimo: nella quale opera è ritratto il detto Re in ginocchioni, il quale pare veramente più che vivo. Onde Modanino fu con grandissimi premj rimunerato:* ex quibus verbis certi sumus non potuisse Alphonsum jubere, ut Modaninus Sannazarii imaginem effingeret, cum Actius eodem anno, quo obiit Alphonsus, in lucem editus sit, ut ex ejus tumuli titulo discimus: quare nemo unus facile mendacio Engenium purgabit. Quod de Sannazarii, idem dicas de Pontani effigie. Hinc cum isthæc non pauca tanti viri gesta collegissem, ejus certo vultu deseri mecum conquerebar: at bene mihi fuit, cui Oratorii nostri bibliothecam locupletissimam evolventi poeseon Pontani exemplar occurrit, quod Sannazarius Aldo Manutio dono miserat, vario ornamentorum genere, & ipsis Manutiorum stemmatibus ex auro dives, & præter nitidissimos characteres, atque binas Joviani sui imagines ab ære cavo expressas insigniri umbilicorum instar curaverat: hanc sane uti certam, germanamque effigiem ejusdem magnitudinis huic meo libello præfixi, eo magis securus, quod in fine voluminis litteris majoribus hæc propria manu Sannazarius subscripserat, ALDO SUO ACTIUS SYNCERUS. Si vero nasi extremitatem non acutam, sed parum obtusam excipias, pernosces tamen reliquas partes omnes, uti se ipse descripserat Jovianus, respondere.

(a) Paullus Jovius in *Elog.* Pontani pag. 60.

quodque plane Romanum videatur (*a*). Porro ecquis non demiratus est in publica re gerenda, ac tanta negotiorum mole singularem consiliorum præstantiam, & maturitatem? Circa Deum, ac religionem nihil negligentior, & quanti, & quam salubres duxerit, & reveritus sit nostras Christianorum Leges, ac instituta, ipse his verbis tradidit posteritati: *Constantissime quidem teneri, omnique e parte credi oporteat, ac si quis secus sibi persuaserit, deque iis modo aliquo dubitaverit, habeatur in hæreticorum, ac perditorum hominum numero, atque ea necesse est, ut & profitearis, & ubi usus evenerit, asserendis illis digladiare, atque emoriare potius, quam abneges* (*b*). Nihil sibi capitalius visum est, quam injustitiæ crimen, illamque vocabat *omnium vitiorum pessimum, ac deterrimum* (*c*). Quam integer, & frugi fuerit, atque in expetendis opibus temperatissimus, non unum in illis, quæ narrata sunt, specimen dedimus, contentus iis tantummodo, quas *maximo labore, summa integritate, suo tantum unius ingenio, propriisque animi viribus sibi comparaverat* (*d*). Verum tot virtutum lucem non una vitiorum labes infecit. Pontanus ambitiosi honoris gratia famosum illum dialogum *Asinus* conscripsit, qui plurimum ei famæ detraxit, sicuti norunt, quotquot evolvendum suscipiunt. Audiit etiam maledicentissimus in dialogo *Charon*; in eo siquidem perquam mordax est, & non solummodo sibi notos

(a) Petrus Summontius in epist. *ad Franciscum Pudericum patricium Neap.* quam legere est in initio dialogi *Actius*. Franciscus Floridus Sabinus *Apolog. in Latinæ Linguæ calumniatores Scriptorum* pag. 109. Basil. 1540. de Pontano scribit: *In dicendo copiam, facilitatem, elegantiam, & proprietatem*.

(b) Pontanus *de Obedientia* lib. I. tom. 1. pag. 11.

(c) Idem ibid. pag. 12.

(d) Idem *de Rebus Cælestibus* lib. I. pag. 97. tom. 3.

tos lacerat, sed cujuscumque conditionis homines, civitatesque ipsas acerba scribendi licentia proscindit, ita ut de eo dictum sit *nemini lingua pepercisse* (a). Atque nemo unus commendaverit, quod in fingendis quibusdam carminibus sæpe impudentiæ morbo laborat. Omnium vero probrosum, ac turpe in suos benemerentissimos Principes non servasse fidem.

Reliquum est, ut de ejus doctrina, ac scriptis aliqua delibemus, persequi enim omnia disertissimum quemque deterreret: erant siquidem in eo quodvis genus litteræ nec vulgares, sed interiores, & exquisitæ: eloquendi vim, & copiam, quæ est una ex summis virtutibus, plenam dignitatis, ac sapientiæ assecutum consentiunt universi, atque ornasse, quæ voluit, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinent, fontes animo, ac memoria continuisse. In ejus stylo emicat eximia suavitas Atticorum, & Romanorum propria, ut felicissimo Augusti ævo natus esse videretur, uti quidam effari non dubitarunt (b). Mirum sane est, quantum Græce didicerit, nam præterquamquod universa sua volumina Græcis vocibus opportune adspersit, Ptolemæi sententias explicatu sat operosas Latine iterum, & clarius vertit, & commentariis, ut superne dictum est, earum veritatem patefecit: præter hæc Græce cultissimum evasisse prædem habeo præclaram illam epistolam (c), & fortasse cuique notam,

(a) Julius Cæsar Capaccius *elog. illustrium Viror.* pag. 377. Neap. 1608.

(b) Franciscus Floridus Sabinus ibidem.

(c) V. tom. 3. post pag. 298.

Jovianus Pontanus Petro Salvatori Vallæ,
& Joanni Ferrario S.

Etsi verecundia mea vix dignum esse arbitror, ut alieno labori meum nomen inscribam, tamen Petro Salvatori Vallæ, & Ioanni Fer-

tam, in qua uber inest Græcarum rerum cognitio, & sententiarum gravitas, quam scripsit annos quatuor & triginta natus Kal. Jan. 1460. misitque Petro Salvatori Vallæ, & Joanni Ferrario judicium de Herodoti Musis ab Laurentio Valla viro sagaci in Latinum conver-

Ferrario aliquid a Joviano postulantibus difficile dictu esset non concedere. Efflagitastis enim, ut quoniam Halicarnassei Herodoti historiis mirum in modum delectaremini, quas nuper Laurentius Vallensis in Latinum convertisset, sed morte præventus, incepto operi ultimam nequiverit manum imponere, id brevi saltem testarer epistola, ne tantus labor, a quo susceptus fuerit, id posteris esset incognitum. Feci itaque non invitus, ut rogatu vestro eruditissimi hominis famæ consulerem, quem & vivum amavi, & mortuum etiam lacrymis sum prosecutus. Hujus autem susepti operis ratio hæc fuit, quod cum ille Neapolim se aliquando contulisset salutandi Regis Alphonsi gratia, cui multos ante annos esset cognitus, & de rebus Persarum, ac Græcorum multus inter eos sermo esset exortus, rogatus est a studiosissimo Principe, ut Herodotum, quem ea diligentissime complexum esse sciret, sibi Latinum redderet. Quod cum ille Regi de se benemerito, ac honesta præsertim petenti non denegasset, ne operam suam, ut erat pollicitus, omnino præstaret, immatura mors effecit. Quo mortuo, Rex libros eos, ut erant, Roma sibi deferendos curavit, & in bibliotheca sua diligenter asservari jussit. De hac autem tota conversione quod meum sit judicium, novistis. Mallem enim unumquemque sua, quam aliena ad nos afferre. Equidem & Ciceronem existimo, si viveret, gravato id animo esse laturum, si quis Oratorem suum Græce loqui faceret, & Demosthenem stomachaturum, si qua ipse Attice scripsisset, alia quispiam lingua eloqui vellet. Quod autem ad Herodotum ipsum attinet, sane id est, ut existimem tanti viri ingenium non parum omnes admirari debere, qui res tam varias, ac tanta diligentia conquisitas, ea suavitate, artificioque explicaverit, ut nihil omnino sit, quod ejus laudibus recte detrahi possit; nisi forte id aliquis calumniari velit, quod nonnulla apud eum ita legantur, ut ficta, quam facta potius esse videantur; quæ culpa non magis scriptoris, quam temporum illorum est existimanda; quam ego vel potissimam reor esse causam, cur novem ille Musarum nominibus libros suos inscripserit, quasi ipsa operis inscriptione apud posteros id testatum relinquere cuperet. Nam & temporibus non omnino repugnari potest, & Musis aliquanto etiam liberius, ut scitis, loqui concessum est. Sed de hoc licet alii quoque suum afferant judicium; nihil enim

versis expostulantibus. Jure igitur se ipse dicit Græcorum studiosissimum, eorumque venerari disciplinas, ac ingenia suspicere: attamen quidam ex otiosis, & loquacibus Græculis (*a*), fortasse ob invidiam, qua urebantur, eo quod Pontanus præ ipsis longe Græce saperet, ei illudere, ac maledicere minime veriti sunt: hinc Jovianus eosdem, conficto Regis edicto, voce maxima citante præcone, insectatur, uti habes ex dialogo *Antonius*, in quo sat festive colloquuntur *Hospes Siculus*, & *Compater Neapolitanus*; verba præstat hic apponere ad legentium voluptatem: Hospes: *Sed præconem hunc audiamus, qui tantam sibi facit in populo audientiam: Regium videlicet edictum; numquam vidi turgidiores buccas; puto ego hominem fermento vesci: quos clamores Dii boni!* Præco: LICERE, FASQUE ESSE JOVIANUM PONTANUM, QUI HABITAT IN PROXIMO, TUTO EGREDI DOMO, TUTO PER URBEM INCEDERE, TUTO ETIAM DE REBUS LATINIS LATINUM HOMINEM DISSERERE, ISTOS VERO GRÆCISSANTEIS HOMINES, ATQUE ITALOGRÆCOS NIHIL EI MALEDICERE, NIHIL INCESSERE, NON OCULIS, NON BARBA, NON SUPERCILIIS, NON DENIQUE ULLA GRÆCA ARTE ILLUDERE. HOC REGEM IPSUM EDICERE. SI QUIS SECUS

enim obsisto. Satisfeci, ut opinor, cupiditati vestræ, quod si brevior fortasse sum, quam erat vestrum utriusque aviditas, id occupationibus meis attribuatis. Ad hæc, & Laurentii nostri, & Herodoti ipsius laudes majores multo sunt, quam ut eas brevis epistola complectatur. Reliquum est, ut vos ad legendas historias adhorter, ex quibus, si animi quæratur voluptas, non est, unde major percipi possit, si vitæ commoditas, haud ferme invenietur, ubi plura, melioraque exempla reperiantur. Valete. Neapoli, Kalendis Januariis 1460.

(a) Pontanus Dialogo *Antonius* tom. 2. pag. 70. sat facete Græculos describit: *Hos ventris crepitibus similes dicebat Antonius* (Panormita) *nares tantum offendere, cetera ventum esse, siquidem ventosos esse, ac putidos.*

CUS FECERIT, BARBAM EI EVELLERE IMPUNE LICERE, PILEUM AUFERRE, CREPIDULAS ERIPERE. QUOD EDICTUM SANCTUM ESSE OMNES SCIUNTO, IDQUE TUBA HAC TESTOR. Hoſpes: *Quid obſecro Joviano huic Græcine tam ſunt infeſti?* Compater: *Quin ipſe Græcorum eſt ſtudioſiſſimus, eorumque veneratur diſciplinas, ac ſuſpicit ingenia, nec eſt quod Græcos timeat. Eſſe autem noſtrates quoſdam adoleſcentes, eoſque nuper e Græcia rediiſſe, qui cum nec Græce ſciant, nec Latine, eſſe tamen glorioſiſſimos, quibus ſi barbam, pileolumque ademeris, nihil omnino Græcum habeant. Eos ait & Græcæ, & Latinæ orationis inculcatores eſſe, ubi cum Græcis fuerint muſſitare, cum Latinis autem mirum eſſe, quam Græce omnia. Hinc illos iraſci, & pæne furere, horum timeri audaciam, cerviceſque inſolentiſſimas*: Hoſpes: *Quid ipſe didicitne Græcas litteras?* Compater: *Eas adoleſcens attigit, ſed in Italia, nam in Græcia magis nunc Turcaicum diſcas, quam Græcum* (*a*).

Scribendi ratio poſtularet, ut Pontani libros, tum in ligata numeris, tum in ſoluta oratione recenſerem, ac ſigulorum argumenta ſtricte hic attexerem; verum & eorum copia, & multiplici varietate rerum me obrutum ſenſi: & quodvis ingenium perſpicax eo in periculo hæreret, ac continuo ſe ab incepto revocaret: hinc mihi bene conſuluiſſe ducas, quod in hujus libelli fine multa arte perpolitam Sannazarii *Elegiam* IX. *de Libris Joviani Pontani*, *cum Petri Volamingii adnotationibus*, adnectam: at ſcio in hoc Volamingii labore quibuſdam in locis curam diligentiorem deſiderari. Interea ſubjecto in margine omnium ejus operum indi-

(a) Pontanus ibidem.

dicem ſubſcribam (*a*), quo conſtet, quantum operæ impendendum, ſi uniuſcujuſque libri argumentum in breve quis cogere velit, & quantum prolixa, quin & moleſta legentibus mea abiret oratio. Porro cujus eruditionis, elegantiſque doctrinæ documentis referta ſint Pontani volumina, vel quibus rectiſſimis ſtudiis, atque artibus excultum in iis ſe oſtentarit, ejus eloquentiæ virtute indigeret quiſquis id præſtare audeat: quanta

(a) Joviani libri in ſoluta oratione.

DE OBEDIENTIA LIBRI V.	DE ASPIRATIONE LIB. II.
DE FORTITUDINE LIB. II.	CHARON DIALOGUS.
LIBER DE PRINCIPE.	ANTONIUS DIALOGUS.
LIBER DE LIBERALITATE.	ACTIUS DIALOGUS.
LIBER DE BENEFICENTIA.	ÆGIDIUS DIALOGUS.
LIBER DE MAGNIFICENTIA.	ASINUS DIALOGUS.
LIBER DE SPLENDORE.	DE SERMONE LIB. VI.
LIBER DE CONVIVENTIA.	DE BELLO NEAP. LIB. VI.
DE PRUDENTIA LIB. V.	CENTUM SENTENTIÆ PTOLEMÆI CUM EXPOSITIONIBUS.
DE MAGNANIMITATE LIB. II.	DE REBUS CÆLESTIBUS LIB. XIV.
DE FORTUNA LIB. III.	
LIBER DE IMMANITATE.	

LIBER DE LUNA IMPERFECTUS. Mœrentiſſimus quiſque legat iſthæc Petri Summontii tom. 3. poſt pag. 298. *Opus hoc de Luna in Pontani ſcriptis, ita ut vides, mancum invenimus, cujus reliquum, ut alia etiam nonnulla, poſt auctoris obitum, amiſſum eſt heredum incuria. Nec & his profecto, quæ nunc habemus, eadem non incuria obfuiſſet, niſi nos id ipſum timentes periculo ſtatim occurriſſemus, ereptiſque tamquam e naufragio archetypis, ſalva per nos res fuiſſet. Quare diſcant præcavere ſibi quicunque litteris aliquid mandant, nec ſe temere, ſi ſapiunt, poſteritatis committant negligentiæ. Vale.*

Franciſcus Aſulanus in epiſt. ad *Averoldum Præſulem Polenſem* ibid. perquam illuſtri elogio complexus eſt omnes Joviani libros: *Quid enim unquam majore judicio, & elegantia de obedientia, de utraque fortitudine heroica, & domeſtica præceptum eſt? quæ ad fugiendam avaritiam, & liberalitatem colendam magis ſalutaria præcepta dari poterant? quæ ad prudentem virum ab imprudenti ſecernendum, & magnanimitatem ſervandam, & fortunæ vim intelligendam, & immanitatem deteſtandam majore copia, ingenio, acumine excogitata unquam fuerunt? Quæ vel potiora ad legendum, vel ad imi-*

ta profecto cogitationum vi & varietate, sententiarum luminibus, ac ubique rerum novitate animos percellit! Ac de eo sane prædicandum non tam vixisse, quam cogitasse, ad quaslibet abstrusiores disciplinas non doctum, sed factum. Ipse de rebus divinis, de prudentum legibus, ac scitis, in primisque quæ ad ethicen spectant, gravem, & frugi sermonem instituit: non illi latuere quidquid in astronomicis, atque in medica arte vel opi-

imitandum accommodatiora in scriptis relinqui poterant, quæ illa principis educandi præcepta, quæ ad Alphonsum tum Calabriæ, ut inquiunt, Ducem misit? Adde tot dialogos, & de rebus gravissimis disputationes, in quibus cognoscendis majorem fortasse utilitatem capere possumus, quam cum Lucianum bonos omnes insectantem, & dignitati cujusque generis hominum illudentem legimus, ubi multum scurrilitatis, urbanitatis parum deprehendimus, quod veteres item in Aristophane annotarunt, quem propterea etiam multo inferiorem Menandro statuere nisi sunt. Quid de historia dicam? tam ornate, copiose, & prudenter scripta, ut illa sola si exstaret, & reliqua illius opera desiderarentur, auctoris sui nomen in perpetuam memoriam propagare posset. Quæ ex antiquitate monimenta amplioris doctrinæ habemus, quam expositiones centum sententiarum Latine loquentis Ptolemæi, & illa omni laude cumulata rerum cælestium volumina.

Pontani libri in ligata oratione.

URANIA, SIVE DE STELLIS LIBRI V.
METEORORUM LIBER.
DE HORTIS HESPERIDUM LIB. II.
LEPIDINA, SIVE PASTORALES POMPÆ SEPTEM.
MELISEUS, MÆON, ET ACON.
AMORUM LIB. II.
DE AMORE CONJUGALI LIB. III.
TUMULORUM LIB. II.
DE DIVINIS LAUDIBUS LIBER.
HENDECASYLLABORUM, SEU BAJARUM LIB. II.
JAMBICI VERSUS DE OBITU LUCII FILII.
VERSUS LYRICI AD RES VARIAS PERTINENTES.
ERIDANI LIBRI II.

Pontanianam poesim his laudibus extollit Jacobus Gaddius *de Scriptoribus* tom. 2. pag. 164. *In poesi vero multiplici excelluit adeo Jovianus, ut velut Jupiter, genitores Latinæ poeseos (Lyricam excipio) de regno, solioque dimovere conetur haud omnino temerario, insa-*

opinabile eſt, vel certum, neque tot philoſophorum diſtractæ ſententiæ, vel ardua matheſeos ſtudia; quin in bellicæ rei ſcientia ita ſubactus, ut videatur alitus, atque educatus in caſtris. Et quiſque demirari numquam deſinet virum tot tantiſque curis diſtrictum tam multa, atque exquiſita edidiciſſe, innumeriſque chartis ſuis illinere potis fuiſſe, quas ſera poſteritas quanti nunc faciat, non oratione, ac ſermonibus comprobat, ſed factis, dum illæ numquam ad ſatietatem verſantur. Quid de libris ſuis futurum certis, non coactis auſpiciis jam Jovianus ipſe divinavit carminibus illis ſeleƈtiſſimis in *Urania* (*a*).

Fama ipſa aſſiſtens tumulo cum veſtibus aureis
Ore ingens, ac voce ingens, ingentibus alis
Per populos late ingenti mea nomina plauſu
Vulgabit, tituloſque feret per ſæcula noſtros,
Plaudenteſque meis reſonabunt laudibus auræ,
Vivet, & extento celeber JOVIANUS *in ævo.*

Quæ vero tantus vir ſcripſerat, partim, dum adhuc viveret, typis edita fuere; inde cuncta ſtudio amicorum in plura volumina collecta non ſemel evulgari curatum eſt, cum primis dedita omnium ſibi cariſſimi Petri Summontii opera (*b*). Quædam ipſe Jovianus mem-

inſanoque conatu. Siquidem in Hendecaſyllabis non raro vincit Catullum, in Tumulis plures Poetas, omnes in Næniis. Idem perpaucis concedit in Elegiis, & in Poematiis heroicis, qui Hortos Heſperidum, & Uraniam cecinit adeo canorus, & doctus, ut poeſim cum aſtrologia, & philoſophia conjungens, tribus veluti Gratiis comitatus, elegantiarum, & leporum nutricem Venerem ſit feliciſſime complexus.

(a) Lib. V. pag. 3091.

(b) In bibliotheca Marchionis de Sarno parentis mei volumen exſtat editum *ab Bernardino Vercellenſi* Venetiis an. 1501. in quo inſunt hi Joviani libri, *de Fortitudine*, *de Principe*, dialogi *Charon*, & *Antonius*, *de Liberalitate*, *de Beneficentia*, *de Magnificentia*, *de*

membranis mandaverat, quibus diu satis pœnitendum est nos caruisse; siquidem juvenilibus annis non pauca luserat in Catullum, cui ea ætate impense studuerat, ac supererant exquisiti quidam in hunc vatem *commentarioli*, quos in lucem proferre receperat Summontius ipse (*a*), sed eos adhucdum neminem vidisse compertum habeo; utinam, si in alicujus forulis lateant,

de Splendore, *de Conviventia*, *de Obedientia*. Hanc primam editionem quorumdam Pontani operum, quæ simul collecta sunt, fuisse arbitror; nam antea sejunctim typis edita reperies. Nunquam satis commendanda Petri Summontii sedulitas, qui universos Joviani libros collegit teste Francisco Asulano epist. ad *Averoldum Præsulem Polensem*, quæ legitur initio Pontani *de Obedientia*: *Horum quidem librorum lectione omnino defraudati fuissemus, nisi Petrus Summontius vir tum ingenii, tum etiam doctrinæ excellens omnes fere ab interitu, & hominum oblivione vindicasset, diligentissimeque recognitos divulgasset*. Sed profecto gratulandum principem omnium Pontani operum in prorsa oratione editionem absolutam Venetiis fuisse in *ædibus Aldi*, & *Andreæ soceri* mens. Jun. 1518. in 3. tom. in 8. distractam, qui mens. Feb. eopse anno nonnulla Joviani carmina, reliqua vero men. Aug. 1533. *heredes Aldi*, & *Andreæ* publica luce donarunt unico volum. in 8. quod & Neap. factum fuit jam antea, an. 1505. curante Petro Summontio, præter *Uraniam*, *Meteora*, *Hortos Hesperidum*, & *Eclogas*. Idem Summontius in epist. ad *Actium Syncerum* ibid. rationem affert, cur ea carmina non apposuerit: *Quo minus autem ab heroico initium fecerim, illud obstitit, quod Pontano auctore paullo ante ipsius obitum provinciam hanc Aldus Manutius, singularis, & doctrinæ, & diligentiæ vir susceperat, suis ut typis, quibus hanc ætate nostra imprimendi artem illustravit, divinam Uraniam, Meteora, Hortos Hesperidum, Eclogasque excuderet. Quod cum ita esset, nolui ego quasi testatoris violare voluntatem; cum præsertim audiam id nunc Venetiis agi a Manutio*.

(a) Petrus Summontius in epistola ad *Angelum Colotium Bassum* adnexa initio oper. de *Immanitate*: *Est mihi præterea in animo, cognito jam ubique Pontano nostro, atque ipsius fama extra omnes periculum posita, juvenileis quosdam ejus lusus, si Actio nostro ita videbitur, in lucem proferre, quorum quidem suppuduisse hominem illud declarat, quod ejus rei nullam, dum vixit, mentionem unquam fecerit. Hi sunt exquisiti quidam commentarioli in Valerium Ca-*

teant, publicæ usuræ fiant. Selectas etiam alias lucubrationes cœptas, nec dum finitas reliquit, libellum nempe *de Mundi Sphæra*, in qua universæ astronomiæ institutiones nova quadam ratione explanaverat; addas mirum opus *de Tempore*, quod paullo ante fatum inchoaverat (*a*). Ad hæc Jovianus non dumtaxat suis doctissimis, sapientiæque plenis scriptis de re litteraria sedulo mereri optavit; sed sagaci studio veterum scriptorum opera conquirere sategit, non sine uberi bonarum artium emolumento. Hinc ejus argutissimæ diligentiæ accepta referimus, quæ Tiberius Donatus vetus grammaticus in Virgilii Maronis opera exaraverat; atque Q. Rhemnii Palæmonis Vicentini *Artem Grammaticam* (*b*). Demum tantum Pontano debent universi, quantum persolvere difficillimum est, qui quoniam ævo suo mutilum, & sat mendosum Catulli carminum exemplar repertum, pollenti ingenio suo illius damna reparavit, correxitque depravata tanta dignitate, ut merito perquam nitido epigrammate id laboris celebraverit Actius Syncerus (*c*).

De-

Catullum, cujus illum constat juvenem studiosissimum fuisse. Quod si injuria mortuo fiat edendis iis, quæ ille contemnebat, quæque a viri gravitate aliena omnino videri possint, audacia hæc nostra legentium utilitate compensetur: sunt enim talia, ut neminem omnino ea legisse pœniteat.

(a) Idem in epist. ad *Jacobum Sannazarium* ibid. *Non inseram his imperfecta alia; nam libellum de Mundi Sphæra ab eo tibi promissum, ex quo tamquam gradum ad universam Astronomiam facturus erat, nova quadam ratione inchoatum reliquit. Omitto etiam mirum opus de Tempore, quod non multo ante inceptum scribentis e manu importuna mors extorsit.*

(b) Apostolus Zenus in *Voss. Differt.* pag. 179. tom. 2.

(c) Jacobus Sannazarius Eleg. XIII. lib. I. ad Jovianum *de emendatione Catulli:*

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
Ingratosque trahat Lesbia sola choros:

Non

Demum non defuere, qui hunc ingentis nominis virum, omnium gentium, omnisque memoriæ celeberrimum carpere, ejusque famam pessumdare ausi sint: quidam sane immurmurarunt, se in libris *de Fortitudine*, *de Obedientia*, *de Splendore ægre agnoscere posse*, *Christianus fuerit Pontanus*, *necne* (*a*), quando in hisce præsertim ipse curatissime & pietati, & religioni inservit, neque ullum insolens de ea verbum reperire est. Nonnulli etiam illum criminari haud ora erubuere, quod non unas epigraphes perantiquas confinxisset, necnon formulam venditionis domunculæ tamquam veterrimam incerto nomine typis donasset, quæ incipit, PASCUTIUS CAULITA (*b*). Verum quis ferat exstitisse homines animi in ipsum tam infesti, ac molestissimi, qui Pontanum ex bibliotheca Cassinensium Virorum quosdam Tullii libros in ea latitantes compilasse, inde parum in deterius immutatos pro suis publici fecisse juris jactarent (*c*)? sed hi in Joviani grande decus se certasse haud deprehenderunt, quippe ejus vis eloquen-

tiæ

Non tam mendosi mœrebit damna libelli,
Gestiet officio quam, Joviane, tuo.
Ille tibi amplexus, atque oscula grata referret,
Mallet, & hos numeros, quam meminisse suos.

Miror Muretum *Comment. ad Catull. Epigr. I.* his verbis arguisse Jovianum: *Pontanus in alieno opere tantum sibi permiserat, ut, quæ non probaret ipse, deleret, sua poneret.*

(a) Vide Erasmum Roterdam. *Dial. Ciceron.* pag. 1019. tom. 1. Lugduni Batav. 1702.

(b) Antonius Augustinus *Dial.* IX. pag. 179. Antuerpiæ 1754. Adisis Dialogum *Actius* pag. 104. tom.2. in eo Pontanus de *Pascutio Caulita* edisserit.

(c) Mariangelus Accursius, dum tuetur suas diatribas, quibus *Testudo* nomen Romæ 1524. *Jovianum Pontanum*, inquit, *quædam Ciceronis volumina in Cassinatis Montis non incelebri bibliotheca comperisse, quæ mox paullum* (*sed quod necesse fuit in deteriorem formam*) *commutata, ut ab se composita ediderit.*

tiæ pæne cum Tulliana contendit: ceterum ita fert litterarum ingenium, & conditio, ut, cum valde lucent, invidorum oculos offendant, & perstringant (*a*). Interea omnium nomine Petri Summontii verbis, qui interiores operum Pontani elegantias, & pretium noverat, illum salutandum reor: *O præstantis ingenii & doctrinæ virum! o de temporibus nostris optime meritum! & per quem non invidemus antiquitati* (*b*). *Fuit enim revera Jovianus non horum temporum fœtus, sed tamquam revirescentis jam naturæ specimen, & in re litteraria quidam quasi heros* (*c*). Utinam, quod omnes boni optant, postulavitque etiam Summontius, *ut* (Neapolitani) *meritam* CONCIVI TANTO *more majorum* STATUAM *in celebri urbis loco ad perpetuum Reipublicæ nostræ decus omnino erigendam curarent* (*d*).

(a) Quanti pretii sunt, & quam opportuna, quæ lusit carmina idem Accursius ibid. in simulacrum Virtutis, & Invidentiæ:

Quæ tu clara oculos, & jam longæva sacerdos?
Virtus. Quæ comes est pallida, tristis, iners?
Invidia. Ora quatit cur, & cava lumina torquet?
Ut me conspexit livida, quod minor est.
Tu quo juncta modo simul es, temnisque venenum?
Instat, non obstat laudibus Invidia.

(b) Petrus Summontius in epist. ad *Franciscum Pudericum patricium Neap.* apposita dialogo *Actius* tom. 2. post pag. 101.

(c) Idem in epist. *ad Neapolitanos suos* in initio Pontani oper. de *Prudentia* tom. 1. post pag. 146.

(d) Verba ex eadem epist. excerpta.



ACTII SINCERI SANNAZARII ELEG. IX. LIB. I.

DE STUDIIS SUIS,

ET LIBRIS JOVIANI PONTANI.

CUM NOTIS

PETRI ULAMINGII.

QUi primus patrios potuit liquisse penates,
Et maris, & longæ tædia ferre viæ,

Quem

Non poterat præclarius laudari Joannes Jovianus Pontanus, neque ejus scripta accuratiore cura posteritati commendari, quam in hac pulcerrima elegia factum est a Sincero nostro; quo autem plenius maximi viri fata ac vitam pernoscat lector, accedat elogium nobile, quod Pontano fecit Paullus Jovius, *Jovianus*, inquit, *Pontanus, vir ad omne genus eloquentiæ natus, Cereto Umbriæ oppido metu profugiens, quod ibi pater a factiosis civibus esset interfectus, Neapolim plane juvenis & inops contendit, ibi enim liberali Alphonsi* Regis *studio, condita bibliotheca, literas in honore esse didicerat. Nec defuit honestus virtuti locus, Antonio Panhormita eruditi ingenii viro admirante. Is tum erat excellentis doctrinæ nomine Regii scrinii magister. Aspiravit demum his cœptis Fortuna, usque adeo benigne, ut Ferdinandi Regis castra secutus, in demortui Panhormitæ locum sufficeretur. Unde illi mox honestæ opes, sed obsequii fide ac merito, uti scripsit, inferiores, nisi ad optimi muneris proventum Ariadnæ uxoris dotalis hereditas accessisset. Hac parta dignitate, liberiore veluti studio, Musas per omnes numeros exercuit, tanta habilis ingenii fœcunditate, ut neque poëtis, neque oratoribus, qui tum maxime florerent, dignum secundæ famæ locum relinqueret. Erat austero supercilio, & toto oris habitu subagresti: sed stylo, & sermone perurbanus, cum sæpissime vel in seriis multo cum sale jocaretur. Habitus tamen est in omni censura, quanquam absolute pius, supra æquum mordax, vel eo quod non homines modo sibi notos, sed gentium & urbium quoque omnium mores acerba scribendi libertate perstringeret, sicuti ex variis Dialogis, Charonteque præsertim, intemperanter ostendit. Sed in pangendo carmine, quam texenda prosa cultior, atque sublimior multis videtur: quandoquidem in historia non semper integra gravissimi incessus dignitate, ab ejus muneris disciplina deflexisse existimari possit, quum postea ab Hesperidum Hortis citriorum suavissimos odores spirans, atque inde divino carmine in altum evectus, ad illa ipsa excelso ore decantata sidera propius accesserit. Vixit annos septuaginta septem. Fato autem functus eodem mense, quo Alexander Sextus Pontifex vita excesserat: tumulatus est in sacello ab se sepulcri causa exstructo e regione Davalorum domus, ubi elogium ab se compositum in marmorea tabula spectatur.* Hæc Jovius: neque eo inferiora Lilius Gregorius Gyraldus Dial. 1. de Poëtis sui temporis: *Urania vero, Meteora, Hesperidum Horti, Ecloga, Epigrammata, Elegiæ, & cetera Joviani Pontani Umbri carmina, & quæ plurima pedestri oratione scripsit, faciunt ut in his tabularum imaginibus illum inter proceres commemorem, quin & cum omni fere anti-* qui-

Quem non mœſta domus, quem non revocare parentes,
  Non potuit fuſis blanda puella comis:
Impius, & ſcopulis, & duro robore natus,
  Atque inter tygres editus ille fuit.
Non mihi circumſtat ſolidum præcordia ferrum,
  Nec riget in noſtro pectore dura ſilex:
Ut poſſim dulceſque lares, limenque puellæ
  Linquere, & ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi ſacros cogor luſtrare receſſus,
  Vocalemque undam, Theſpiadumque choros:
Ut fugiam nigras ſupremo in funere flammas,
  Et volitem populi docta per ora mei:
Meque inter claros attollat fama poëtas,
  Nec rapiat nomen nigra favilla meum:
Et noſtro celebrata ſuperbiat umbra ſepulchro,
  Spernat & e Pariis marmora cæſa jugis:
Non tamen ut magni tumulum tentare Maronis
  Audeat, aut tantum ſperet habere decus.
Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis?
  Quis vetet optato membra fovere ſinu?
An tanti fuerit ſacro Parnaſus hiatu,
  Perque ſuas paſſim templa habitata Deas:

Ut

quitate conferam, tametſi non idem, ut quibuſdam videtur, in omnibus præſtat: nonnunquam enim nimis laſcivire & vagari videtur, nec plane ubique ſe legibus adſtringit. quod iis minus mirum videri poterit, qui illum ſciverint in magnis Regum & Principum negotiis diu verſatum, & modo bellorum, modo pacis conditiones & fœdera tractaſſe, non minus quam Phœbum & Muſas coluiſſe. Quis tamen eo plura? quis doctius? quis elegantius? quis denique abſolutius compoſuit? enucleatius? exquiſitius? & licet ejus quidam hoc tempore gloriæ parum æqui ſint æſtimatores, non illis tamen ipſe concedam, ni meliora vel ipſi fecerint, vel ab aliis facta attulerint, id quod ad hanc ipſe diem non vidiſſe fateor. Joannes Pierius Valerianus, vir longe eruditiſſimus, elegans Pontano epitaphium ſcripſit, cujus initium

Scriptorum venerabilis Magiſter
Pontanus cubat hic, &c.

exſtat id libro poëmatum Pierii primo, videndus Buchnerus T. 2. Orat. p. 358. Eſt & Baſilii Zanchii Meliſeus, ſive ecloga in ejus funere, haud ſane contemnenda, poemat. libro quinto. Habemus Italorum hominum elogia & judicia; qui vero his non acquieſcens liberiorem cenſuram deſiderat, adeat ille J. C. Scaligerum in Hypercritico, & Eraſmum noſtrum in Ciceroniano: homo enim fuit Pontanus. Nunc ad Sincerum redeamus, & Pontani ſcripta per ſaturam recenſeamus, ſunt autem iſta.

Ut tibi sit nitidos lacrymis corrumpere ocellos,
Discessumque fleas, cara puella, meum?
Ah pereat, quicunque leveis sectatur honores,
Et sequitur famæ nomina vana suæ.
Tecum ego nocturnis dubitem cessare choreis?
Tecum ego conspersa gaudia inire rosa?
Deductumque levi crinem perfundere amomo?
Et noctem insolitis ducere blanditiis?
Scilicet & Turcas Pontanus in æquora classes,
Alphonsi & fortes ducat in arma manus.
Qui nunc nascentis canit incunabula mundi,
Aureaque ætherea sydera fixa domo:
Utque imbres, lapidesque pluant, ut nubibus ignes
Exsiliant, salsas ut mare volvat aquas:
Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi,
Rusticaque ad primos munera missa toros,
Delicias, Lepidina, tuas, resonansque vicissim
Pastorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter & fulvis radiet Sertorius armis,
Et Pompejanus prælia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere versu,
Ille vel æterno digna Marone sonat.
Te pater irriguis audit Sebethus in antris,

Jurgia

V. 35. *Qui nunc nascentis canit incunabula mundi*, &c.] Uraniæ libri quinque, sive de stellis; Meteororum liber unus, heroico carmine decantati.

V. 39. *Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi.*] de Hortis Hesperidum, sive de cultura citriorum libri duo, eodem versu, v. Fracastorius carm. 3. p. 273.

V. 40. RUSTICAQUE *ad prima munera missa toros*,

DELICIAS, LEPIDINA, *tuas*, &c.] Lepidina, cujus septem pastorales pompæ, cum tribus diversi argumenti eclogis.

V. 43. *Qualiter & fulvis radiet* SERTORIUS *armis*,

Et POMPEJANUS *prælia tentet eques.* Bellum Sertorianum, quod grandi carmine cecinit Pontanus in dialogo, cui nomen Antonius.

V. 47. *Te* PATER *irriguis audit* SEBETHUS *in antris*,

JURGIA *ad ingratas dum jacis ipse fores.*] Amorum libri duo, vario numerorum genere scripti, & Laurentio Miniato dicati. Sebethi autem vel præcipue hic mentio est, eo quod ultimam libri secundi elegiam, fictione jucunda atque eleganti, memoratur Sebethis conversio in fluvium.

PATER SEBETHUS.] recte, fuit enim divinis honoribus cultus: Gruterus inscrip. XCIV. 9.

P.ME-

Jurgia ad ingratas dum jacis ipse fores.
Inde vocas sacrum festas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera conjugii:
Utque tuis primum surgens complexibus uxor,
Visa sit erepta viginitate queri.
Felix, qui fidos expertus conjugis ignes,
Vidisti sobolis pignora certa tuæ:
Næniolasque rudes cecinisti, & blanda parentis
Oscula, & ad cunas murmura nata suas.
Felix, excultum torsit quæ Fannia vatem,
Quæque illi regnum Cinnama subripuit.
Quamvis diffidii leges patiantur amaras,
Spectabunt cineres nomen habere suos.
Eridani post hæc sed te quis credat ad amnem
Populea canas fronde ligasse comas?

Et

P. MEVIUS. EUTYCHUS
[EUTNYCUS Manut. Orthogr. p. 705.]
AEDICULAM
RESTITUIT. SEBETHO

Ex tabella marmorea Neapoli in fundamentis murorum eruta. De Sebetho. v. Bern. Tasso *lettera* 121. p. 200. b.

V. 49. *Inde vocas sacrum festa* HYMENÆON *ad aras*,
Optati referens gaudia conjugii;
Utque tuis primum surgens complexibus uxor
Visa sit erepta virginitate queri.] Libri tres de Amore conjugali, quorum tertius filiarum Aureliæ & Eugeniæ epithalamia continet. Alluditur autem ad elegiam quartam lib. 1. cujus initium.

Qualis ab Herculeis surgens complexibus Hebe
Visa est erepta virginitate queri.
v. Pontanus lib. III. de *Obedientia* p. 40.

V. 55. NÆNIOLASQUE *rudes cecinisti, & blanda parentis*
OSCULA, *& ad cunas murmura nata suas.*] Næniæ sunt duodecim, quæ vel ipso nomine quibusdam persuadeant, quam sint nugaces, & pueriles, sed vel in his ipsis admirari licet fœcundum non minus quam facundum summi viri ingenium, qui enim ita nugari potuerit, & blæsas, ac balbas nutricum blanditias referre tanto cum lepore, in hunc usque diem inventus est nemo. De Fannia quæ sequuntur, deque Cinnama pertinent ad Amores.

V. 61. ERIDANI *posthac sed te quis credat ad amnem*
POPULEA *canas fronde ligasse comas,*
ET STELLAM *cecinisse?* &c.] Eridani nomen duobus elegiarum libris facit Pontanus, quibus celebravit amores Stellæ, mulieris Ferrariensis, e qua & filium sustulit, cujus tumulus cum epitaphio eleganti hodie quoque visitur Neapoli. *voyez M. Misson, voyage d' Italie* T. 1. p. 277. & Sweertium *Delic. orb. Christ.* p. 87. De hoc suo sacello ipse, ni fallor, Pontanus loquitur præfat. libb. de *Prudent.* p. 274. sq. ibidem. l. 31. p. 310. Præfat. lib. 2. p. 315. Præfat. Lib. 3. p. 338. sq. L. 5. p. 391. 423.

unde

Et Stellam ceciniſſe, atque impendiſſe querelas,
  Spectandos cum jam vix daret illa pedes:
Bajanoſque ſinus, myrtetaque cognita nymphis,
  Clauſaque ſulphureis antra recurva jugis:
Tum ſuperûm laudem, mutiſque inciſa ſepulcris
  Nomina, collapſos & reparare rogos:
Denique Pindaricoſque modos, reſonantia plectra,
  Et Methymnææ fila novaſſe lyræ:
Cum tamen interea motus, atque agmina Regum,

Bella-

unde apparet ratio nominis ac tituli: eſt enim Ferraria ad ramum Padi minimum ſita, qui dicitur *Po morto*. Hos porro libros, ut & verſus Sapphicos, non recepiſſe ultimam auctoris manum jam olim monuit Petrus Summontius, cujus viri candorem nec mirari ſatis, nec commendare poſſum.

V. 65. *Bajanoſque ſinus*, &c.] duo Hendecaſyllaborum libri, Bajarum titulo inſignes, lepidi, molles, delicati, & quibus non unus Phaleciorum ſcriptor invidere poſſit. Id vero mihi ne credas, audi Scaligerum, cenſorem minime indulgentem, in *Hypercrit. Bajana carmina elegantia & laſciva provocant ipſa Catulliana, ſunt enim quadam ſupra illius aleam, plane accommodata illius ingenio redundanti*, &c.

V. 67. *Tum* SUPERUM *laudem, mutiſque inciſa ſepulcris.*
Nomina.] Hymnorum liber, ſive, ut Pontanus inſcripſit, de Laudibus *Divinis*; quod recte reprehenditur a Scaligero, cum non doceat ibi quibus modis laudandus ſit Deus, ſed laudes ipſas canat. Pontanum interim primum fuiſſe uſum elegiaco carmine in canendis hymnis obſervare te velim: cum ab antiquiſſimis non niſi hexametrum, quod & ipſum antiquiſſimum eſt carminis genus, fuerit adhibitum, & ſenſim receſſum ad lyram. Pios & Chriſtianos multorum habemus. Excellunt, poſt veteres, M. Hieronymus Vida, Joannes Franciſcus Picus, Petrus Bembus, Joannes Aurelius Mutius, noſter Sannazarius, M. Antonius Muretus, Franciſcus Bencius, Salmonius Macrinus, Hercules Strozza, Georgius Fabricius, Berlicomius, alii. Quid autem ſibi voluerit cum quatuor ſuis Hymnorum libris Michael Marullus, haud facile dixerim. Putes illum de novo tentaſſe paganiſmum introducere; nec immerito tam acrem ſuper eo cenſuram inſtituit J. C. Scaliger. Sed hæc ſunt alterius loci. Sequuntur Pontani duo *Tumulorum* libri, in quibus multa quæ ad iſtius ætatis hiſtoriam faciunt. Primus talis argumenti libellum edidit D. Magnus Auſonius, quem ſecuti e recentioribus plurimi, J. C. Scaliger, Joannes Secundus, Georgius Buchananus, Theodorus Beza, Nicolaus Grudius, Eobanus Heſſus, Caſpar Conrandus, Joſephus Scaliger, & qui non?

V. 69. *Denique* PINDARICOSQUE *modos*, &c.] verſus ſunt ſapphici, ſed ab auctore non emendati, ideoque nec inter primos ponendi, dictum ad v. 61. Videtur autem Pontanus plures odas ſcripſiſſe, quæ interciderint. Quid enim Pindarus commune habet cum lyra Lesbia?

V. 71. *Cum tamen interea motus, atque agmina* REGUM,
Bellaque CAMPANÆ *diſcuſſis hiſtoriæ*.]
Scripſit Pontanus *hiſtoriam belli Neapolitani*, quod Ferdinandus Aragonius cum Joanne Andegavenſi geſſit, ſex libris. Singula autem rerum eventa non fama collegit, aut hinc illinc

emen-

Bellaque Campanæ discutis historiæ.
Quin & jucundo distringis sæcula morsu,
Dum vafer in Stygio disputat amne Charon.
Varronisque tui, Nigidique exempla secutus,
Grammaticæ haud spretas incipis ire vias.
Carminis hic numeros nostris depromis ab ausis,
Dignatus pueri verba referre senex.
Quid loquar, ut sacros Mariani exhauriat amnes
Ægidius, verum dum canit ore Deum?

Aut

emendicavit, sed omnibus fere interfuit ipse. Edidit, qui reliqua Pontani opera, Petrus Summontius, sed nondum omnino expolita, & uti ab ipso scriptore relicta invenerat; quod Paullus Jovius videtur ignorasse, dum inclementius paullo judicat de gravitate Pontani.

V. 73. *Dum vafer in Stygio disputat amne* CHARON.] Tetigit hunc dialogum Jovius, nec immerito; sed si verum fateri volumus, ignoscendum erit Pontano, si quid liberius jocarus fuerit. Vivebat ille sæculo dissolutissimo ac maledicentissimo, & si conferatur cum æqualibus suis, poterit profecto tanquam istius temporis Cato suspici: hanc ipsam quoque mordendi libidinem aliis magnis virtutibus redemit.

V. 75. *Varronisque tui, Nigidique exempla secutus*
Grammaticæ haud spretas incipis ire vias.
alluditur ad duos libros de *Aspiratione*, ad Marinum Tomacellum scriptos. Ceterum quamquam hæc sit lectio omnium editionum Sannazarii, nullum tamen commodum sensum facit: & palam est τὸ *haud* debere tolli. Hoc enim dicit Sincerus: Pontanum, virum in republica insignem, in literis prope unicum, post scriptam cum magna prudentiæ laude historiam, post elucubrata non omnis tantum carminis genera, sed & illa quæ proxime accederent ad majestatem Maronianam, tamen non esse dedignatum ad has grammaticorum minutas nænias descendere, & de *Aspiratione* aliquid commentari, &c. non enim poterat ignorare poëta noster illud Ulpiani apud Athenæum, Grammaticis, si medicos excipias, nihil esse stultius; neque nesciebat, quantopere Grammaticos insectatus sit poëta Ausonius, ut de Græcis epigrammatum scriptoribus nihil dicam.

V. 77. *Carminis hinc numeros nostris depromis ab ausis,*
Dignatus pueri verba referre senex.] *Actius* dialogus est Pontani multa eruditione refertus, in quo inducit Actium nostrum Sincerum de numeris poëticis, deque legibus historiæ politissime ac scientissime differentem.

V. 79. —— *ut sacros* MARIANI *exhauriat amnes*
ÆGIDIUS, *verum dum canit ore Deum*, refer ad dialogum Pontani, cui titulus, *Ægidius*, a celeberrimi tum nominis eremita Augustiniano Ægidio, qui postea ordinis sui præfectus a Julio II. creatus est, Cardinalis autem a Leone decimo; insigne, & prope invidendum illi elogium posuit Paullus Jovius p. 103. mirifice extollens ejus peritiam linguarum, & sacræ theologiæ scientiam rarissimam, eloquentiam in habendis ad populum concionibus inusitatam, ac pene divinam, quæque ibi plura leguntur. Inter poëtas Latinos & Etruscos numeratur a Lilio Gyraldo in secundo de poëtis sui temporis dialogo. Vide & Pontanum in dedicatione libri de *Immanitate* ad Hier. Carbonem. Ægidii præceptor fuit Marianus, & ipse Augu-

sti-

Aut apta ingratos taxet ſub imagine mores,
Qui ſuper infuſas ſpernit Aſellus aquas?
Te juveneſque, ſeneſque colunt præcepta ferentem,
Parthenope ſpreto quæ Cicerone legit:
Ex adytis quicquid Divum ſapientia pandit,
Et, Stagira, tui dogmata firma ſenis,
Quid deceat fortemque virum, quæ Principis artes,

Lar-

ſtinianus Eremita, ſed diſcipulo eruditione inferior. Ejus cum laude meminit in epiſtolis ſuis Politianus L. 4. Epiſt. 6. & Præfat. *Miſcellan.* p. 490. Jovius in *Elogiis*, Pontanus in *Ægidio*, & libro primo *Tumulorum*. Ipſi porro Ægidio, quod pene exciderat properanti, librum ſuum de *Luna* dedicavit Pontanus, cujus tamen, ob heredum incuriam, nonniſi exiguum fragmentum habemus, V. Pontanus Lib. III. de *Fortuna* p. 564. ſqq. & de *Immanitate* p. 587. 615.

V. 81. *Aut apta ingratos taxet ſub imagine mores,*
Qui ſuper infuſas ſpernit ASELLUS *aquas.*]

Aſinus dialogus eſt Pontani, in quo fingit ſe quaſi præ ſenio delirantem immodico ac plane cæco cujuſdam aſini ſui amore captum, illi rete e ſerico ad excludendos culices & muſcas, illi ex argento tintinnabula parare, ſudorem illi odorato citriorum liquore abluere, &c. ia vero bellulus, ne non ſe aſinum probet, pedere, calcitrare, domini manum mordicus apprehenſam tantum non præſcindere, donec debito fuſtuario admonitus, & ad molas damnatus, bona tandem fide aſinum ſe eſſe diſcat. Invehitur autem Pontanus in cujuſdam noti hominis ingratitudinem, juſtamque indignationem, dum mandare literis cupit, eam ſale hujus libelli condit. Pontani *Aſinum* compilavit Trajanus Boccalinus Cent. 2. *Ragguagl.* 93. ſed tamen aſini ferocitate alìorſum detorta.

V. 83. *Te juveneſque, ſeneſque colunt præcepta ferentem,*
Parthenape ſpreto quæ CICERONE *legit.*]

Huc pertinet inſignis locus Mariangeli Accurſii, quem producit Voſſius L. 3. de *Hiſtor. Latinis*, Cap. 8. p. 549. Eraſmus *Ciceron.* p. 272. Ne tam animoſæ ſententiæ veritatem præſtare cogatur Sincerus noſter, operæ pretium erit audire Pontanum ipſum, de conſilio ſcriptionum ſuarum differentem ad Hier. Carbonem, in dedicatione libri de *Immanitate*. Sic igitur ille: *Quo autem ſcribendi conſilium omne meum manifeſtius tibi pateat, ſic habeto: de moribus apud Latinos ſcripſiſſe Ciceronem, qui id ſolum mihi ſecutus videtur, ut actiones, quæ & quales eſſe debeant, oſtenderet ſumma cum eloquentia, cujus ipſe facile habendus eſt & magiſter, & princeps. Ceterum definiendis virtutibus, explicandis earum principiis, inumbrandiſque imaginibus, nihil eum prorſus curæ aut ſtudii impendiſſe, ut πρακτικὰς, hoc eſt, activas tantum res viſus ſit velle edocere, ac complecti, ac ſi Senatorii, Conſulariſque hoc tantum eſſet viri, munerisque dignioris, θεωρητικὰς autem res exſequi plebeji cujuſpiam hominis, ac tanquam in otio marceſcentis. Apud Græcos vero theoreticam hanc inſtitutionem ita exſecutum eſſe Ariſtotelem, uti activa ab diſciplina omnino receſſerit, etſi in illo edocendi genere maxime diligens ac conſummatus appareat. Poſt Ciceronem e noſtris Senecam multa quidem, maximeque vitæ hominum utilia, & commoda ediſſertaſſe: ceterum oratorio magis more exhortari ad virtutem, honeſtaſque ad actiones legentem, quam ut quæ dicat contenderit certis ac ſibi conſtantibus rationibus comprobare, aut de principiis ipſis acutius diſputare & quærere, multa tamen admirabiliter loqui, cohortarique acerrime ad bene viven-*

Largificas præſtet quæ dare dona manus:
Parendi leges quæ ſint, legeſque loquendi,
Edat ut argutos lingua diſerta ſales:
Quid Fortuna homini, quid det Prudentia, quantum
Immanes animos incitus ardor agat:
Magnanimique viri quæ ſint ad ſingula partes,
Sive colat pacem, ſeu fera bella gerat.
Nec fugis aſtrorum cauſas aperire latenteis,
Et Ptolemæei fata repoſta poli.
Salve ſancte ſenex, vatum quem rite parentem
Præfecit terris Delius Auſoniis.
Non te Lethææ carpent oblivia ripæ,
Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebejo ponetur in aggere buſtum,
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices exſpectas, Umbria, palmas?
Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ.
Ille ſuis longum ſtudiis, & laude fruatur:
Me juvet in dominæ conſenuiſſe ſinu.

vendum auditores, deterrereque a vitiis: ut libri ejus, ut præcepta ab eo tradita, ut denique quæ ab illo in medium afferuntur exempla, ſtimuli ſint quidam ad honeſte agendum, civileſque ac domeſticos ad mores, actioneſque vitæ totius ſic adminiſtrandas, ut beate ſimul ac tranquille vitam bene ducentes, felicitate quidem ipſa vel fruamur adepti, vel conſequendam ad eam quam proxime accedamus. Nos igitur ſummos & imitatione dignos viros cum inſueremur, ab adoleſcentia uſque id judicavimus, quod poſt exſecuti etiam ſumus, ſingulari eſſe laude dignum, plurimumque humano quoque generi collaturum, ſcriptitandis rebus moralibus tria hæc ſimul complecti, ut cognitio principiorum ac virtutum ipſarum per definitiones, ſpecieſque ſuas, ac differentias, quod theoretica eſt contemplationis: ut practica exercitatio, uſuſque ipſe vivendi, ideſt, qui & quales actus ipſi eſſe debeant, oſtenderetur: utque ad confirmandos animos & exempla adjungerentur, & ſententiæ auctoritatis plenæ, dictaque ac facta clariſſimorum virorum, noſtraque dignorum imitatione atque obſervantia. Quod in libris ubique noſtris, pro virili tamen, conati ſumus aſſequi. Hæc de ſcopo ſuo Pontanus: potuiſſet tamen noſter modeſtius, majorique cum veneratione loqui de Cicerone, neque hoc, ut puto, ægre latura fuiſſet poſteritas. Quæ ſequuntur, referenda ſunt ad libros Pontani *de Fortitudine, de Principe, de Liberalitate, de Obedientia, de Sermone, de Fortuna, de Prudentia, de Immanitate, de Magnanimitate, de Rebus Cœleſtibus, & in centum Sententiàs Ptolemæi.* Atque hæc quidem habui, quæ notarem ad nobiliſſimam elegiam. Nec tamen omittenda eſt inſignis illa Sinceri in Pontani ſcripta pietas, quæ poſt illius obitum ſopita atque neglecta e tenebris primus in lucem, tum Franciſci Ælii conſilio, tum opera Petri Summontii uſus, revocavit.



Recepi initio hujus libelli pag. 1. me typis daturum breve hoc litteratum monumentum inscriptum JOANNIS PONTANI VITÆ PARS, &c. quod nunc sane præsto, & quid de eo sentiendum sit, aperiam. Illud sibi curavit parens meus in patriarum rerum studio conquirendarum nemini secundus, careque servat: neque mihi parvo adjumento fuit, ut tanti viri vitam conscriberem. Nihil dubii est, quin negotium σύγχρονον habendum, cum auctor ipse id testetur palam: at fetum esse Tristani is continuo haud neget, qui cetera, quæ Caracciolus scripserat, numquam perlegit, cujus dicendi stylus sat limatior est, & cultior. Si vero in nominibus propriis semel, aut iterum oberrat, id acceptum lubens referam exscribentium incuriæ: atque si præposterus aliquando est ordo historiæ, quivis animadvertit in epistolis non semper servari: at de utraque culpa in adnotationibus te admonitum scias. Orthographiam, sive formulam recte scribendi, atque distinctionum signa ubique incustodita indolui, quæ oscitanti librario tribuenda, hinc restituenda curatum est. Ceterum mihi gaudeo, quod hanc epistolam antehac ineditam prælo subjiciam, harumque rerum cultores æqui bonique facturos reor.

JOANNIS PONTANI

VITÆ BREVIS PARS

PER TRISTANUM CARACCIOLUM

DESCRIPTA.

QUis Joannes Pontanus fuerit, qui postea versus (*a*) occasione Jovianum se dici maluit.. Cum primum ad nos accesserit, scire ex me desideras: provectum jam, & honestis muneribus fungentem, in scientiisque, & doctrina magnum, postque vero obitum maximum per te nosci (*b*), cum claritas, diligentiaque amicorum in operibus ejus imprimendis ea fuerit, ut

(a) Nomen commutatum ob Academiæ leges, vid. pag. 21.
(b) Reor hic desiderati, *non ignoro*, aut quid simile.

ut non modo, quæ ipſe ediderat, ſed longe plura hactenus ignorata eorum labor, & induſtria orbi omni Latina gaudenti lingua legenda, acceptandaque in auctoris gloriam diſſeminaverint. Ego enim ingenue fateor de tanto viro plura, quam tu, per ætatem noſſe, ſed ea quæ (*a*) magnitudo doctrinæ, vitæque ſequentis integritas, ut recordaremur effecit: quippe longe quidem Pontani clariora principia mox ſecuta ignavia obliteravit (*b*): etenim Romanas caſulas (*c*), arcus triumphales, prætoria quam (*d*) marmorea nobis noſcendas dederunt. Venit ergo ad nos pene adoleſcens tenuiſſima in re a Perufio (*e*), ubi exul rudimenta literarum didicerat, nam Ponto patria (*f*), unde Pontanus (*g*), in qua propter civiles diſcordias pater occiderat, diligentia matris ab adverſæ factionis ſævitia ereptus Peruſio delituerat. Acceſſit ergo Alphonſo Aragonio Rege primo ſpe, ut in aula tanti principis ſe augeret, quam & ſua virtus, doctorumque amicitia non vanam fecerunt: nam ex quo appulit, noſcendum ſe literarum amatoribus, & qui ſuffragari poſſent dedit. Erat tunc in primis Antonius Panhormita Regis hiſtoriarum, moraliſque philoſophiæ magiſter, qui doctiſſimus cum haberetur, doctos etiam alere, & provehere nitebatur: hic cum Pontani indole, & moribus, maximeque nugis, & verſiculis, in quibus quantus futurus eſſet oſtendebat, delectaretur, crebroque de illo, deque illius ingenio apud amicos mentionem faceret, evenit ut Julius Fortis acciperet, vir quidem dapſilis, & beneficus: erat enim fiſci rationibus præpoſitus, & cum eſſet Siculus, ejuſdemque Antonii conterraneus libenter illi credebat: cujus perſuaſione acceſitum ad ſe Pontanum (*h*) veſte honeſtiori, victuque ſuæ menſæ liberaliori aliquandiu penes ſe detinuit: indeque Pontani nomen, utpote clari ingenii celebrari cœpit.

Itu-

(a) Vocula *quæ* redundat, vel reponas *eaque*.

(b) Sententiam hanc eſſe puto: In florenti fortuna Pontanum pleroſque omnes laudibus proſecutos, in privata oblitos, neque ejus vivendi rationes ſcriptis mandaſſe; ſed Romanas antiquitates poſteritati tradere ſtuduiſſe.

(c) Vocabulum *caſulas* divinet quivis, non ego. Num potior vox *columnas*?

(d) Ne hæreas reficere *prætoriaque*.

(e) Non Peruſio, ſed a patria pulſus: v.pag. 9. lit. [b] adnotat. hujus libelli.

(f) *Nam Pontus patria*. Confingi etiam poteſt, *non Ponto patria*.

[g] Hallucinatur hic Caracciolus: hinc etiam a me in dicta pag. 1. litt. [a], emendata vero invenies in fine hujus libelli.

[h] Fallitur etiam Pſeudocaracciolus: vide pag. 11. litt. [a].

Ituroque Panhormitæ oratori ad Venetos commodum visum est Pontanum secum ducere, qui omne per iter talem se pertulit, qualem postea cognovimus: præcipue tamen Florentiæ, ubi Cosmus Medices vir sagax, & longa ætate, & experientia peritus de eo judicium prætulerit. Forte enim, auditis quibusdam nugis a Pontano in Venetos editis, dixerit, si vita permiserit, illustrem illum eloquentia, & doctrina futurum. Reversus ergo a legatione cum oratore, apud quem, reliquumque comitatum eum se gesserat, ut carum, amandumque omnibus se præbuerit; & quocunque ibat, neminem doctorum insalutatum relinquebat, spem de se, quam postea præstitit, ubique seponens. Tot igitur suffragantibus meritis, tempestivum visum est amicis, quos non paucos, nec infimæ sortis homines sibi comparaverat, majoribus illum admovere negotiis. Itaque in contubernium Maximi ab epistolis assisti curarunt. Erat enim tunc Antonius Ulcinius Celtiber longa ætate sui muneris callentissimus, Regique percarus. Hic, inspecta Pantani facie, auditoque sermone, benignissime admisit, moxque rescriptiones epistolarum, aliaque illi ministerio decentia injungere perseveravit, quæ eo modo exequebatur, ut perpauci a scribarum collegio illum præirent; multos quoque in eodem officio antiquiores ipse præverteret: interea ad quod natura eum edidisse cognoscitur, omne tempus, quo ab epistolarum munere vacare dabatur, scribendo insumebat, carminum præcipue omne genus, prosasque etiam summa laude pertractans. Et jam cum admiratione audientium audiri, celebrarique cœperat. Confluebantque ad eum privato aliquo in loco poetas, historicosque enarrantem plerique decuriones, & nobilitatis principes viri. Cujus morum, & doctrinæ fama ad Alphonsum Regem cum pervenisset, bene consulere Domino Joanni (*a*) Navario ex fratre nepoti visum est, si virum talem insignem, moribus probatum ad illum instruendum, informandumque aptaret: ibi etsi majori in administratione eundem se gessit, quem solitus fuerat, erat qui & juvenis (*b*): & omnis familiæ curam gerebat Petrus Torilla vir severus & sui, ut ajunt,

[a] Non *Joanni*, sed *Carolo*: vide pag. 15. litt. [a].
[b] Legendum fortasse: *qui solitus fuerat, qui erat & juvenis.*

ajunt, capitis, cum quo, & reliqua familia ita Pontanus degit, ut non modo amaretur, ſed & cui plurimum deferretur; quoad, defunĉto Alphonſo Rege, Joannem Navarium ad patrem in Celtiberia morantem redire oportuit; inde ad epiſtolarum officium, quod interim non penitus deſeruerat, remeans adeo attente ſtudioſeque agere cœpit, ut in pretio haberi cœperint privilegia, & epiſtolæ illius diĉtatæ ingenio, & ſcriptæ manu; in eo miniſterio in adventum Hippolytæ Mariæ Calabriæ Ducis ſcribarum inter primos perſeveraverit: ubi ab Antonello Petrucio a ſecretis principis multum illi delatum eſt; & rebus ſenſum, & eloquentiam poſcentibus demandatum. Hæc meditans uxorem ducere in animum induxit, a quo hactenus abhorruerat: poſcentibuſque amicis, cur, quod diu obſtinate obnuerat, nunc tam repente aggrederetur? reſpondit, ne iterum ſub cura Joannis (puer is erat quem alebat) ægrotaret: duxit autem Ariadnam Saxonam (*a*) forma, & honeſtate egregiam: approbaverat enim Alphonſus Rex mores, & doĉtrinam, quæ in contubernio Navarii nepotis olim Pontanus ſervaverat: cujus nutu Ferdinandus filius ab epiſtolis (*b*) & comitem Hippolytæ Mariæ nurui, utpote jam probatum virum, adſcribere curavit: ibi ut officio auĉtus, ita ſe ſolito majorem oſtendit. Ecce perduxi tibi hominem ab iis, quæ forſan per ætatem ignorabas: deinceps omne ævum per te bene tenere reor: & quemadmodum maximus a ſecretis, in rebus bellicis conſultor, oratorque ad principes, denique & paterfamilias extiterit: moribus & ea familiaritate, qua tecum vixit, notiſſimum eſſe non ambigimus.

[a] Adrianæ Saxonæ proſapia adnumerabatur inter patricios regionis *Portæ novæ*, ejuſque curiæ adſcripta, quam vulgo *ſedile* dicimus. Fruebatur gentilitia ſacra Ædicula Apoſtolorum Petri & Paulli nomine in ſat illuſtri noſtræ urbis loco, qui *piazza de' Cangiani* appellabatur, ubi videre eſt ſtemma Gentis Saxonæ, Engenius *Nap. Sacr.* pag. 443. Tutinus *de orig. ſedil. &c.* pag. 102.

[b] Fortaſſe Jovianus reĉtor, & cuſtos Hippolytæ renunciatus eſt, atque ab epiſtolis Ferdinandi I. Calabriæ Ducis: at ideo ejus vitæ a me adjeĉtum non eſt, quod ceteri ſcriptores id prorſus ſilentio præteriere; videtur etiam res adverſus hiſtoriæ ordinem laborare.



DE Pontani facra Æde, quæ opportuna vifa funt, dictum eft pag. 42. & feqq. nunc ejus externam principem faciem ordinis genere *Romano*, vel ut ajunt *Compofito*, exftructam, fumma fide incifam, atque internas etiam partes cum hypogæo appingimus: quod monumentum ob tanti viri famam æternitati fervandum. Altera facies externa ad orientem verfa, in qua minor eft janua, & tertia occidua arctiores, & quatuor pilis ornatæ ejufdem funt ordinis, ac ftructuræ: quarta latior ad boream defideratur, eo quod templum proximo ædificio inhæret.

1. Janua princeps electis marmoribus, & anaglyphis ornata.
2. Lapis dedicationis, quam legas pag. 42.
3. Quatuor feneftræ marmoribus cinctæ.
4. Octo apophtegmata relata pag. 42. & 43.
5. Marmor nuper adjectum cum hoc inftaurationis titulo:

CAROLI REGIS AUGUSTISSIMI PROVIDENTIA
RESTITUTUM AN. MDCCLIX.

6. Totius Templi fornix cum corona illud undique complectente.
7. Cenotaphium ex marmore cum ænea Pontani effigie mox apponendum cum hac epigraphe:

QUAM TU NOSSE CUPIS, VIVAX HEROIS IMAGO
PONTANI EST, HOSPES, CUNCTA TENES, ABEAS.

8. Ara ex marmore nuper erecta cum egregia Pontani dedicatione, antea fupra ipfam aram, nunc in antica ejus parte fcalpta:

TIBI DEVS OPTIME MAXIME ARAM HANC
IOVIANVS PONTANVS DEDICAT NEC TECVM PACISCITVR
VT SIBI LIBERIS POSTERISQVE SVIS BENEFAXIS
CVM IPSE VOLENS GRATVITO BENEFACIAS CVNCTIS
SED QVIA TIBI VNI AB OMNIBVS DEBEANTVR OMNIA.

9. Scrinium ad facram fupellectilem fervandam.
10. Paries, in quo non inelegantes Mariæ V. & bini Jo. Evangelistæ, & Baptiftæ imagines depictæ.
11. Introitus in Templum ab orientis plaga marmore cinctum.
12. Feneftra rotundior.
13. Paries, uti tres reliqui undique marmoribus vel ab ipfo Pontano, vel ab Antiquis Græce, & Latine infcriptis decori.
14. Grande hypogæum etiam fornicatum.
15. Pars fcalæ in ipfum deducentis.
16. Gradus altior undique hypogæum cingens.



In

In commune desiderium peccarem, si ternos hos reliquos Latinos sepulcrales titulos, quos elegans Pontani cura ex ruderibus tractos collegerat, Templique sui parietibus affixerat minime subjicerem.

I.

D. M
POMPONIS
CRESCENTI
RHENO DANWIO
NEPOTIBUS
ET EVPHRATI . PATRI
EORVM FILIO . HOMINI
SIMPLICISSIMO . POMP
RHENVS . PATER . FECIT
QVI ME NON MERENTEM
PROCVRAVERVNT

II.

D. M
ALFIA MAXIMINA
IRILITIO SATVR
NINO COIVGI
ET SIBI LIBER
TIS LIBERTA
BVSQVE POSTE
RISQVE EORVM

III.

MAECENATIA ERVSA
VIXIT ANN. XV.

Brevissimum primum marmor, ac fere palmare inelegantibus, ac minutis characteribus, & quibusdam simul adnexis, certa fide exscriptum, sententiam præsefert satis turbatam: at nisi omnibus veritatis notis dives esset, fucatum crederes: negotium sane, quo exerceantur ingenia. Ambivisse veteres nomen & personis, & urbibus ipsis imponere a fluviis res trita: hinc habes propria nomina Eridanos, Mincios, Tiberios, &c. idque moris durare adhuc novimus. Lapis alter, cui non multa injuria facta est, paullo grandior, litteris aliquanto concinnioribus; at tertius omnium minimus scalptus bonis elementis. Scias autem omnia isthæc vetustatis pignora ad Templi decus parietibus, & Græca ipsa cum interpretamentis inhærentia intueri est.



Pontani Templi Pars externa

Palm. XX. Neap.

Pars Internae

Ant. De Sio del.

Fran. La Marra Sculp.




JACOBI MARTORELLII

REGII GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSORIS

IN GRÆCA, ET SAT MUTILA LATINA EPIGRAMMATA

EXERCITATIO.



ΤΟΝ ΠΑΣΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΕΙΔΗΜΟΝΑ ΦΩΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΝ
ΠΡΕΣΒΤΝ, ΙΑΟΝΙΗΣ ΕΜΠΕΡΑΜΟΝ ΣΟΦΙΗΣ,
ΑΤΣΟΝΙΩΝ ΤΠΑΤΟΤ ΠΑΤΕΡΑ ΚΛΤΤΟΝ ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ
ΘΡΕΨΕ ΜΑΚΗΔΟΝΙΗ, ΔΕΞΑΤΟ Δ' ΕΙΤΑΛΙΗ.

MVNERE LEGATI FVNCTVM VIRTVTE PHILIPPVM
OMNIGENA, DOCTRINA INCLYTVM ET IONIA,
CONSVLIS AVSONIAE ANTIGONI HAVD SINE SORTE
PARENTEM
NVTRIVIT MACEDO, NVNC TENET ITALIA.

Exstat in Gruteri thes. 1098. 8. *non uno eorum, qui exscripserant, errore fœdum, qui Tillemontium deceperunt ajentem in Constantio to.* 4. *pag.* 343. *edit. Ven. hoc epigramma meminisse Philippi consulis, cum consul sit Antigonus ex suffectis; quare in fastis Almeloveenii desideratur Antigonus. Hinc nemo unus ferat Tillemontium de hoc eleganti titulo invidiosas jactantem querimonias. Per sibi multum veteres blandiebantur in marmoribus scalpere se in Jonica, uti in hoc Pontanianæ Ædis, vel in Pithagorica schola profecisse, vid. Gruteri thes. p.* 950. 7. *ubi de se felix*

lix quidam adolescens canit: Dogmata Pithagoræ sensi, studiumque sophorum; Et libros legi, legi pia carmina HOMERI, &c. *Pro* libros *accipias Iliada, & Odysseam; pro* pia carmina, *Hymnos: vel in Stoica schola, in eodem Grut. pag.* 426. IO. L. IVNII RVSTICI PHILOSOPHI STOICI L. IVNIVS L. L. MYRINVS S. P. P.

Vox Ἰαόνιος *Homerica est, at ejus filii pæne universi in* Ἰώνιος *immutarunt, præter Lycophronem v.* 989. *licet ibi Seldenus legat* Ἰῶνας, *non* Ἰάονας, *& Apollonium Rhodium lib.* 1. *v.* 959. *at novimus, quantum is* ὠμέριζεν. *Excipe etiam epigramma* 4. *Anthol. lib.* 4. *cap.* 27. *in quo est* Ἰηόνιος *cum* η, *at alibi ostendam id carmen a Neapolitanis cusum, utpote* Ὁμηρικωτάτοις, *& Homerastrum in hymn. in Apoll. v.* 147. *Miror D' Orvillium multa & docta more suo de* ῥήσει *hac* Ἰώνιος *edisserentem in Charitonem pagg.* 533. *&* 676. *non meminisse vocem* Ἰαόνιος. *Advertas Statium nostratem, utpote in Græca urbe natum lib.* 1. *Theb. v.* 476. *usum* Aona *pro* Ionium.

Vox ipsa EI· AONIHC *a marmorario* στιγμῇ *distracta, contraque orthographiam etiam scalpta adeo torsit Pighium, & Sirmondum, ut tamquam fullones hunc pannum interpolaverint e suo promptuario desumentes* τὸ K, *atque* τὸ EI *eluerint, vid. Grut. hinc factum, ut lepida* μεταμορφώσει *Philippus e philosopho sectæ* Jaoniæ *conversus sit in poetam. Si vocem* φῶτα *in interpretamento posthabitam videas, ea est Homericus lepos, qui sane Latine aritudo mera: quare in Iliad.* λ. *v.* 438. *Barnesius apposuit:* Ἔγκατι φωτὸς] φωτός, ἀντὶ τοῦ, αὐτοῦ. *Ætatem lapidis novisse datur, postquam scilicet consulis orientis, atque occidentis distinctio inducta est: eamque etiam ab ipsa characterum deformitate deprehendere est. Gratulandum Neapolitanis, quod tamdiu Græce vixerint, atque ævo litteris infesto tanti nitoris carmina pangerent, quodque viri honestissimis magistratibus insignes, longe gentium nati Græcanicum nostrum, imo Atticum vivendi genus seligerent, quod multis deprædicat Strabo pag.* 378. *Demum gratiæ sint Pontani manibus, quod ea curate servavit.*

EN-

ΕΝΘΑΔΕΤΗΝΙΕΡΑΝΚΕΦΑ
ΛΗΝΚΑΤΑΙ ΑΙ ΑΚΑΛΥΠΤΕΙ
ΑΝΔΡΩΝΗΡΩΩΝΚΟΣΜΙΤΟΡΑ
ΘΕΙΟΝΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ
ΑΥΡΗΛ·ΑΤΑΛΑΝΤΗΙ
ΙΔΙΩΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΗΣΕΝ

ΕΝΘΑΔΕ ΤΗΝ ΙΕΡΑΝ ΚΕΦΑΛΗΝ ΚΑΤΑ ΓΑΙΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ,
ΑΝΔΡΩΝ ΗΡΩΩΝ ΚΟΣΜΗΤΟΡΑ ΘΕΙΟΝ,
ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ.

ΑΥΡΕΛ · ΑΤΑΛΑΝΤΗ
ΙΔΙΩ ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣ ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

PRAECLARI CAPITIS PIGNVS HIC TERRA RECONDIT,
QVI FVIT HEROVM DVX, ET DECVS ALMVM,
ALCIBIADEM.

AVRELIA ATALANTA
PATRONO SVO,
CVIVS VITA BENE ACTA EST,
FECIT.

METRICA pars ſelectiſſimis ex Homero verbis concepta eſt, atque ab Petronio, Statio, Philoſtrato, aliiſque celebratur ſchola Homericoneapolitana. Verſus alter, & tertius fulgent novo metri genere, quod Græcis ſollemne, vide D' Orvillium in Vanno pagg. 186. *&* 247. *ubi perquam appoſite ait vir ſummus adjeciſſe veteres elegiaco carmini jambum pro pentametro etiam ob vocem* Ἀλκιβιάδης. *Præterea conſulas adnotat. in Scylacem pag.* 17. *Oxon. ubi ex Ariſtotele recitatur epigraphe, in qua ſingulis hexametris ſubjiciuntur bini pentametri, qui ſex verſus antea corru-*

ptissimi sanantur: vide etiam Pausan. pag. 361. Lips. qui dat hexametrum, quem sequitur alter pede uno desertus, uti in nostro epigr. nisi mutilum recitaverit. At nemini ignotum reor binos hos versus esse περιβοητάτυς, cum & in Anthol. lib. 4. c. 25. epigr. 3. & in fin. vitæ Homeri Herodoto tributæ sic exstent:

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.


At Neapolitani pro Ὅμηρον *appinxere* Ἀλκειβιάδην, *adeo divini vatis amore, & sapientia incoctum eorum pectus erat: hinc jure colligas hunc Alcibiadem Neapoli denatum vel summum heroem, vel maximum poetam fuisse, qui eosdem in Homerum versus demeritus est.*

Vocem πατρῶνι, *quæ sat bona est, Leichius immutavit in* πατρώνῳ *in Miscell. Lipsiens. & Eleedwodius* βεβιωκότι *in* βιώσαντι. *Muratorius pag. 707. hoc distichon barbaricis temporibus confictum asserit: vide D' Orvillum ibid. p. 415. qui adstruit* ἐπόησε *nil repugnare: at vir summus non vidit legendum* ἐποίησε, *nam prima linea τῦ* H *fungitur vice τῦ jota, sicuti in* κοσμίτορα *ultima lineola τῦ* M *cum sequenti jota fingit* H, *quod genus compendii in lapidibus sollemne est.*

BINA, quæ sequuntur lapidum fragmina in Templi instauratione reperta sunt, & haud jam pridem ad sternendos marmoribus gradus latissima culpa conscissa ac distracta, litterata facie solo conversa, quo lateret facinus. Idem nefandum lapidicidium *in aliis titulis accidisse facile quis doleat, & irascatur, atque ab hoc duplici crimine plura discere est.*

supplementum	*fragmentum*	*dissecti marmoris exemplar*
HIC QVIESCI	T IN SOMNO	⌐I NSO MNO
PACIS CYRIA	CVS VIRCLA	CVS VIRCLA
RISSIMVS MEDI	CVS CARVS	CVS CARVS
VNIVERSIS	QVI VIXITAN	QVIVIXITAN
NOS PLVS MIN	VS QVINQVA	IS QVINQVA
GINTA OCTO M	ENSES DECE	ENSES DECE
MDIES NOVEM	DEPOSITVS	DEPOSITVS
EST POST DIE	M IDVMIVNI	MIDVMIVNI (sic)

supplementum *fragmentum* *dissecti marmoris exemplar*





Si nomina virorum propria excipias, ad legentium lubita immutanda, voces reliquas adjectas tum versuum comparatio, ac proportio, tum sententia ipsa copiose tutantur. Quid nisi τὸ MEDICVS *syllaba* CVS *nobis statim offert in epigram. primo? In secundo nil ambigas de voce* ARTEMISION, *ibi siquidem hæc Neapolitana fratria degebat ex divite monumento apud Capacium in hist. pag.* 75. *quin & templum S. Mariæ majoris fuisse Artemidos scimus tam ex nostratibus scriptoribus, quam ex non unis ruderibus, atque ex nomine, quod adbucdum audit via illa arctior propter idem templum, quæ ad boream tendit*, via *enim* Lunæ *salutatur. Quanti volumus, est hoc alterum fragmentum ob vocabula* demarchus, *&* fretarchus, *Græci patrii magistratus, & nunc primum ab Latiali nos marmore donati. Nil detractum iri novimus veterum civium majestati, quod virum libertum demarchum creaverint; quando id genus hominum honestissimis muneribus fulsisse nullus neget: & nec ad externa provocandum, etenim Jul. Tiberius Tarsus* ἀπελεύθερος, *qui templum Dioscurorum, nunc D. Paulli Apost. ædificavit, fuit* Augusti procurator, Σεβαστοῦ ἐπίτροπος, *ut in epistylio legebatur. Quanta maxima auctoritate valuerint liberti, adi Paneg. Plin. circa fin. ejusque divites commentarios. Utinam quis isthæc quatuor epigrammata longis & laboriosis commentariis mactet ad Neapolitani nominis honestatem. Ceterum si qui huic* παρακεκινδυνευμένῃ *bini supplementi conjecturæ obtrectaverint, utpote proclivis atque expediti, eis pacate succinendum, quod de se ait Valckenaerius in adnotat. in Phœniss. pag.* 552. In hac arte nihil difficilius, quam id quod se dicturos omnes putant, postquam audierunt.

In

IN AEDEM
AB
JOVIANO PONTANO
VIRGINI MARIAE
ET
JOANNI EVANGELISTAE
NEAPOLI ERECTAM
CARMEN
PHILIPPI D' ORVILLII AMSTAELODAMENSIS.

Hymettio, Pontanus, os fragrans thymo,
Nec fabulosis una de Sirenibus
Tuis, decorque primus, o Neapoli:
Pontanus ille Virgini puerperae,
Viroque, quartus enthea qui pagina
Decantat Humanae incolam formae Deum,
Aedem facrarat, Caelitum dignam pari,
Geniique teftem & elegantis & pii:
Atque hanc eamdem fempiternam legerat
In manfionem, fibi, fuorumque offibus
Requiem futuram jure Manium ratus,
Divûmque relligione non violabilem,
Dum falva rectis cerneres de turribus
Agris tremendum vortice igneo jugum.
Non fic merentem vana fpes imagine
Dulci fefellit; nec ruinae proxima
Labantis illud tecta fpondent culminis,
Pariefve, campis paene pendent qualia
Fauni facella, vel Dianae rufticae:
Foedi nec albo Numinum vultus fitu,
Vel ara fpondet patrio ritu carens.
Templum carere fartor aedituo tamen
Negat, facrato defidens qui limine

Pro-

PER LO TEMPIO
DA
GIOVIANO PONTANO
A NOSTRA DONNA
E DA
S. GIOVANNI VANGELISTA
ERETTO IN NAPOLI
TRADUZIONE
DEL MARCHESE SALVATORE SPIRITI.

Napoli, quel Pontan, che in bocca i favi
Avea d' Imetto, e fu tuo pregio, ed una
Non favolosa già di tue Sirene:
Quel Pontano alla gran Vergine, e Madre,
E a lui, che in Patmo dell' Eterno Verbo
L' alto Mistero, e Vision descrisse,
Nobil Tempio sacrò proprio a tal coppia,
Di sua pietade, e culto genio in segno:
Destinò questo istesso alle sue ceneri,
Ed a quelle de' suoi perpetuo albergo,
Sperando, che pel dritto de' Defunti,
E per religion fosse inviolabile
Insin, che salva tu dall' alte torri
Rimirassi Vesevo, orror de' campi.
Ma contra ogni suo merto ei fu deluso
Da vana speme: e non promettan questo
Le vicine a cader mura, che stanno,
Quai de' rustici Dii ne' campi veggonsi
Ognor le nicchie minacciar rovina;
Sperar nol fan de' simulacri i volti
Sfigurati, o l' altar di culto voto.
Niega però mancar custode al Tempio
Meschin sartor, che su la soglia assiso


Pro-

Profanat opere, & sentit esuriens deos.
Araneosa num magis donaria
Decent peresas inter a blattis togas,
Vilesque pannos, praemia impurae manus?
Velata quid quod his requirat janua
Non serta florum, aut infularum purpuram.
Quin, ut soles, (locine contices memor?)
Age turpe, sartor rauce, jacta canticum,
Hymno putabit se celebratum polus!
Vae Vatis umbrae, si quid ab obitus die
Sapis, susurro vapulas quae tam fero!
Polluta dudum sed reliqueris loca,
Ad littoris myrteta Campani evolans,
Inter suas qua vivit Actius tuus
Laudes, notisque sculpta claris marmora.
Quod si supremo, sicut ille, codice
Pinguem saginam nil opum tenacibus
Cautus dedisses, squalor omnis abforet,
Ac solitudo, cymbalumque cum lyra,
Fractaeque voces eviratorum Attidum
Festis diebus personarent compita.
Non Zmirna talis in Ilii vatem fuit,
Aut gloriae tot civitates aemulae;
Sed Templa, & Aras thure pingues masculo,
Statuasque certavere civi ponere:
Quin conditoris atque custodis Dei
Instar, colendos ultimis nepotibus,
Vultus moneta dedicarunt in sacra.
An barbararum turba picarum loquax
Clius Latinae vicit argutum melos?
Ac Maeviorum tam feraci saeculo
Coepit Maronum prima laus sordescere?
Quare venustis urbibus venustior,
O una tellus, quas sinu gerit Itala!
O grata sedes Virginum choro novem!

Felix-

Profana il loco, e povertà n' ha in pena.
Forse che i don votivi han miglior loco
Fra vili panni da tignuole rosi,
Perchè offerti già fur da mano impura?
E di questi il sacro uscio or anche adorno
Sprezza i serti di fior, le bende, e gli ostri?
Deh via com' hai per uso, (o muto rendeti
Del loco il sacro orror?) deh via scavezza
Qualche oscena canzona, o rauco sarto,
Che a par d' inno in sua lode al ciel sia grata!
Ahi del chiaro Poeta ombra infelice,
Da tal canto sferzata! se rimanti
Senso alcun dopo morte, la violata
Sede abbandona, e del Campano lido
Vanne fra' mirti ad abitar, là dove
Vive al suon di sue lodi il tuo Sincero
Tra scelti marmi, e di bei versi ornati.
Che se Tu, come ei fece, ancor lasciavi
Pingue retaggio in testamento, ad uso
Di gente non ingorda; il tuo bel Tempio
Non si vedria or desolato e squallido;
Ma ne' giorni festivi a suon di lira
Molli Eunuchi accordando il dolce canto,
Risonar si udirebbe ogni contrada.
Tal non si dimostrò col grande Omero
Smirna, o tante cittadi emule al vanto;
Ma d' erger gareggiaro al cittadino
Templi, Statue, ed Altar ricchi d' incenso:
Anzi, ond' ei fosse ognor da tutti i posteri
Creduto Nume tutelar, ne impressero
Anche in medaglie, avute sacre, il volto.
Stuol di garrule piche ha forse vinta
La melodia della Latina Musa?
O perchè questa età di Mevj abbonda,
La gloria de' Maroni è avuta a vile?
O fra quante cittadi Italia accoglie
Unica, e degna oltre le belle bella!
O grata stanza alle Castalie Dive!

Felixque Mercurialium mater virûm!
(Caeli favorem non enim parvi facis,
Nec fas piumve despicis mortalium,)
Focis honores dentur oblitis sui,
Aedesque cultu splendeat novo, neque
Posthac senectam, te cavente, sentiat,
Sacri per aevum fida custos pulveris.
Id ore justo fama publica comprobet:
Id ipsa debes, clara Parthenope, tibi,
Te siqua privae cura tangit gloriae;
Viroque debes, mille qui dotes tuas
Mirandus aeternavit eloquentiae
Suada pedestris, & aureae simul fidis
Potente plectro. Semper ipsa sic novis
Phoebi perennes concinenda oloribus.



E d' alti ingegni avventurosa madre!
(Giacchè i doni del ciel non prendi a gioco,
Nè le pie de' mortali opre dispregi,)
Rendasi al voto Altar l' onor dovuto,
E di nuovo al bel Tempio il culto rieda,
Nè provi d' ora in poi del tempo i danni,
Vietandol tu, che le degne ossa accogli.
Sia testimon di tua pietà la fama,
Partenope, che tanto a te ben dei,
Se di tuo proprio onor cura ti punge:
E lo devi al grand' Uom, che i pregi tuoi
In sermon sciolto, e con l' aurate fila
Del sonoro suo plettro eterni rese.
Così tu vinca ognor gli astri maligni,
E cantino di te novelli Cigni.



CORRIGENDA.

Fatendum est me erraſſe in adnot. pag. 1. litt. (a) putantem Triſtanum Caracciolum in MS. aſſeruiſſe majores Joannis *Pontani* cognomentum nactos eſſe, quod patria pulſi ob inteſtinum bellum Pontum confugerint; cum mens Triſtani ſit Jovianum acquiſiviſſe id cognominis, propterea quod Ponto natus, *nam*, inquit, *Pontus patria, unde Pontanus*: verum tranſverſum iviſſe Caracciolum ſatis conſtat; etenim ipſe Pontanus *Tumulor.* lib. II. pag. 3402. refert aviam ſuam dictam Leonardam *Pontanam*: unde autem derivatum ſit hoc cognomen ipſemet Jovianus nos docuit in Dial. *Antonius* tom. 2. poſt. pag. 92.

. . . . . . Tulit meritum primæ legionis honorem
Pontius, a quo etiam deducta eſt Pontana propago.

Quiſnam fuerit hic *Pontius* legionis ductor, familiæ fons & origo, latet; at certi ſumus Jovianum haud fuiſſe hujus cognominis principem.

Denique me ſollerti cura uſum, quo typographicis erroribus occurrerem, vel ex eo noveris, quod in perquam paucos inciderim, quique ſunt præſertim in recitandis Pontani verbis; at ſcias ejus operum exemplar nil curate in lucem editum.

pag. 5.	lin. 17.	*Nulla*	corr.	*Nella*
pag. 6.	37.	*Hos*		*Has*
pag. 78.	10.	epigraphes		epigraphas.



Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes.

Dum Cl. Martorellii exercitatio isthæc typis excudebatur, ad me deferuntur Anonymi cujusdam doctæ & laboriosæ animadversiones in priorem (*) Martorellii exercitationem, quas, utpote quæ ad græcorum epigrammatum sensum valde conducunt, hic adnectere mea interesse putavi.

ANONYMI ANIMADVERSIONES.



UM magna semper exstitit apud omnes opinio de Cl. viro Jacobo Martorellio, & singularis doctrinæ ejus commendatio; tum hoc præsertim tempore magnifice nostri homines de eodem & loquuntur & sentiunt. Unus enim est per Urbem Neapolim pervagatus sermo, una omnium illa est sententia, penitioris Martorellii litteraturæ radios, si umquam alias, nunc quidem, velut in artum conclusos, micuisse vehementius. Marmora enim græca in Sacello Joviani Pontani Musarum studiis cultissimi, eruderando nuper reperta, atque ab eodem latine reddita; mutili tituli suæ integritati restituti tantam illi mehercule conciliarunt existimationem, quantam ulli hominum vix fas esset optare. Nam quicumque seu advenæ seu cives eruditi viri in illud Pontani Sacellum infe-

(*) Martorellius epigrammata isthæc exeunte anno 1759. vulgavit cum brevi commentario. Anonymus animadversiones suas edidit Romæ anno 1760. Posthæc Martorellius priori suo commentario, qua perpoliendo, qua addendo, ultimam manum imposuit, ut priorem ejus editionem cum posteriore hac, quam supra dedimus, conferenti patebit. Hæc adnotasse, non inutile prorsus erat; ne quis diceret, Anonymum frustra in Martorellium insurgere, quod is *novum metri genus* in secundo græco epigrammate sibi videre visus sit. Nam quæ Martorellius opportune ea de re addidit, in priore sua editione desiderantur.

inferunt pedes, vetustos illos titulos primum, ut par est, venerantur & suspiciunt; deinde ubi eosdem titulos in amplioribus tabulis marmoreis transcriptos, Martorelliique tum vertentis tum restituentis nomine insignitos lustraverint, adeo tanti viri eruditionem, adeo sedulitatem prædicant, ut nihil accedere posse videatur.

Quamquam autem & ego eruditis, tam præclare de Martorellio sentientibus, libentissime adstipuler; tamen, ut verum fatear, nævos quosdam, minutulos illos quidem, in Martorellianis interpretationibus deprehendere visus sum, quos singulos paucis infra persequar; non quod illi cupiam oppedere, sed quod mihi spes est fore, ut obortos in animo meo scrupulos sedulus aliquis scribendo evellat. Primum ergo marmor sic habet.

Marmor Vetus

Τ Ο Ν Π Α C Η C Α Ρ Ε
ΤΗC · ΕΙΔΗΜΟΝΑ · ΦωΤΑ
ΦΙΛΙΠΠΟΝ · ΠΡΕCΒΤΝΕΙ · ΑΟ
ΝΙΗC · ΕΝΠΕΡΑΜΟΝCΟΦΙΗC
ΑΤCΟΝΙωΝ · ΤΠΑΤΟΤ · ΠΑΤΕΡΑ · ΚΑΤ
ΤΟΝ · ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ · ΘΡΕΨΕΜΑΚΗ
ΔΟΝΙΗ · ΔΕΞΑΤΟ ΔΕΙΤΑΛΙΗ

Marmor Novum

ΤΟΝ ΠΑΣΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΕΙΔΗΜΟΝΑ ΦΩΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΝ
ΠΡΕΣΒΤΝ, ΙΑΟΝΙΗΣ ΕΝΠΕΡΑΜΟΝ ΣΟΦΙΗΣ,
ΑΤΣΟΝΙ ΩΝ ΤΠΑΤΟΤ ΠΑΤΕΡΑ ΚΑΤΤΟΝ ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ
ΘΡΕΨΕ ΜΑΚΗΔΟΝΙΗ, ΔΕΞΑΤΟ Δ' ΕΙΤΑΛΙΗ.

MVNERE LEGATI FVNCTVM VIRTVTE PHILIPPVM
OMNIGENA, DOCTRINA INCLYTVM ET IONIA,
CONSVLIS AVSONIAE ANTIGONI HAVD SINE SORTE PARENTEM
NVTRIVIT MACEDO, NVNC TENET ITALIA.

INTERPRETAMENTUM JAC. MARTORELLII REG. GR. LING. PROF.

VERS.

VERS. 2. Πρέσβυν. *Non video, cur* πρέσβυν *interpretemur* Munere Legati functum, *ut Cl. Martorellius vertit. Nam cuicuimodi legatus Pilippus ille fuerit, certe auctor epigrammatis uno saltem verbo mutire debuit; nec committere, ut honorifica Philippi legatio posteros lateret. Quanti tandem laboris erat addere* Legatum Cæsaris, *vel tale aliquid? Præterea quis, rogo, paulum in græcis litteris versatus ignoret,* πρέσβυν *cum τῷ* Υ *in ultima non* Legatum (*qui Græcis est* πρέσβις *cum* Jota) *notare, sed* Senem? *Scio quid fortasse Martorellio imposuerit. Legerat is in nuperis quibusdam lexicis, quæ vulgo scholarum usus commendat, nempe Joannis Scapulæ, & quæ inde derivata sunt, sub themate* πρέσβυς *utramque statui significationem &* Legati & Senis; *idcirco ut titulo non vulgari Philippum honestaret,* τὸ Πρέσβυν *interpretatus est* Legatum, *spreta scilicet altera* Senis *notione, quam fortasse viliorem credidit. At, nisi fallor,* Senem *quam* Legatum *ille maluisset, si exempla Scapulæ aliorumque suis ipse oculis lustravisset. Et sane* το πρέσβεως, *quod in notione* Legati *ex Aristophane laudat Scapula, non ex* πρέσβυς, *sed utique ex* πρέσβις *repetendum docet Suidas. En verba Suidæ:* Πρέσβις, πρέσβεως . . . . οὐχὶ δὲ ἀπὸ τῆς πρέσβευς εὐθείας. οἱ γὰρ λέγοντες ἁμαρτάνουσι. *h. e.* Πρέσβις (Legatus *format genitivum*) Πρέσβεως . . . . Is autem non est a recto Πρέσβευς. Qui enim hoc dicunt, errant. *Suidæ adde Etymologum Magnum; quorum testimoniis temere abusus est Scapula.* Πρέσβις, ὁ ἐκπεμπόμενος πρὸς βασιλέα . . . . πρέσβεις πρέσβεις. *h. e.* Πρέσβις Legatus ad Regem missus . . . . in plurali habet Πρέσβεις, Πρέσβεις. *Itaque* Πρέσβις *cum* Jota *in ultima Legatus est Suidæ & Etymologo. At vero* Πρέσβυς *cum* Υ *nonnisi* Senem *notat. Hesy-*

Hesychius: Πρέσβυς, γέρων, Senex. *Etymologus*: Πρέσβυς, ὁ γεραιός .... κλίνεται Πρέσβυος καὶ Πρέσβεως. Πρέσβυς, Senex ... habet genitivum casum Πρέσβυος & Πρέσβεως. *Cum autem & Πρέσβις & Πρέσβυς in plerisque casibus conveniant; inde est, quod Πρέσβεις in plurali numero sint Hesychio & Etymologo* Γέροντες & Πρεσβευταί, Senes & Legati: *nimirum quia utraque vox, cum formet casum patrium* Πρέσβεως, *in plurali habet* Πρέσβεις. *Hoc in more positum veteribus lexicographis fuit, ut si quæ voces sono & scriptura convenirent, tametsi notione discreparent, sub harum alterutra diversas significantias exhiberent. Hesychius:* ΗΙΟΝ ἐπορευόμην, καὶ γνάθον. Ivi, & maxillam. ΟΙΣ πρόβατον, ἢ τοῖς ἑαυτοῦ, ἢ τοῖς σοῖς, Ovis, vel suis, vel tuis. ΟΙΣΟΝ κόμισον, φέρε ἢ σχοινίον. duc, fer, vel funis. ΟΙΩ, δοκῶ, μόνῳ. puto, soli. *Sunt & sexcenta id genus alia, in quibus sub una eademque voce dissimillimæ connectuntur significationes, quæ a diverso themate repetendæ sunt. Eodem prorsus pacto cum* Πρέσβις & Πρέσβυς *in plurali numero adeo convenirent, ut una eademque vox esse videretur; liberum Etymologo, Hesychioque fuit sub unum* τοῦ Πρέσβεις *sonum diversas* Legati & Senis *significationes cogere. Quam veterum Lexicographorum consuetudinem cum non advertissent Tusanus, Constantinus, Scapula, Schrevelius, aliique, utramque notionem cum utroque vocabulo communicarunt, sed sine testibus, ac tabulis. Sed illuc unde abii, redeo:* Πρέσβυς, & πρέσβις *in plerisque casibus amice conspirant; est tamen, ubi utraque vox, oborto veluti dissidio, diversas ineunt vias; exempli caussa in accusativo* Πρέσβις Legatus *format* πρέσβιν. *Theophylactus Simoc. epist.* 20. καὶ τὸν πρέσβιν ὡς ἀπαίσιον ἄγγελον ἀπεπέμψατο, Legatum ut inauspi-

spi-

ſpicatum nuntium remiſit. *At* Πρέσβυς Senex *habet in accuſativo* Πρέσβυν *per* Υ. *In Antolog.* IV. *cap.* XXVII. *n.* 15. Πρέσβυν Ἀνακρείοντα, Senem Anacreontem. *Ibidem lib.* V. *num.* 108. πρέσβυν ἐν ἠϊθέοις, Senem in juvenibus. *Eaque vox nec uſquam in notione* Legati *comparet; nec repertus eſt adhuc, qui* πρέσβυν *alicubi ſit* Legatum *interpretatus, ſi Martorellium excipias, qui nuperis quibuſdam lexicis plus æquo fidens, veterum Scriptorum ſcrinia excutere neglexit. Utinam in nuperis lexicis carcinomata hæc, & id genus alia ad rectam adoleſcentum inſtitutionem manu medica recidantur!*

Ibid. *In vetuſto marmore ſic ſcalpitur:* ΠΡΕΣΒΥΝΕΙ. ΑΟΝΙΗΣ *&c. Cur Martorellius tantum ſibi licere credidit, ut in recentiore marmore* ΠΡΕΣΒΥΝ ΙΑΟΝΙΗΣ *recuderet? Ergo* τὸ *E quo exulavit? Enimvero vertiſſet Cl. Martorellius* τὸν πρέσβυν, *prout ei libitum fuiſſet; creaſſet Philippum* Legatum, *feciſſet* ædilem (*& quidem melius; Heſychio enim* πρέσβυς *eſt quoque* Ἀγορανόμος, ædilis) *modo a veteri ſcriptura, quam omnes ſartam tectam volunt, violentas manus abſtinuiſſet. Ceterum ſi errorem quadratarii in hoc loco cubare credidit, cur pro* τῷ ΕΙ' *quam minima mutatione* ΕΠ *non legit? Vel propius ad fidem marmoris* ΕΤ' *pro integro* ἔτι, ad hæc, præterea? *ut verſus ſic incederet:* Πρέσβυν ἔτ' Αονίης ἐντέραμον σοφίης. *Nam ſi* Σοφία *hic ea eſt, quæ* Philoſophia *dicitur, quid attinuit addere* τὸ Ἰαονίης? *An ut certior fieret populus, id curans ſcilicet, Philippum non ex ſecta Italica, ſed Jonica prodiiſſe? Profecto ludibrium deberet auctor noſtri epigrammatis, in id ſedulus, quod in breviſſimo præſertim carmine impune omitti poterat. Videſis inſcriptionem græcam apud Rei-*

 neſium

nesium in Append. omiss. num. 47. *ubi quidam Oceanus laudatur* πάσης ἐυπέραμος σοφίης. *An sedulo hic etiam inquirendum nobis est, ex qua secta prodierit Oceanus, Italica ne, an Jonica, an in utraque suum professus fuerit nomen? Ergo* σοφία *quidvis aliud in nostro marmore, quam* Philosophiam *notat. Hesychius:* Σοφία πᾶσα τέχνη, καὶ ἐπιστήμη. Quævis ars, ac scientia Σοφία dicitur. *Calliope in* Antholog. I. in Poët. *dicitur invenisse* Σοφίην, *h. e.* artem *componendi carminis heroici. In quadam veteri inscriptione Nicomedis apud Octavium Falconerium* ἐυπάλαμος Σοφίη *est* ars statuaria. *Quamobrem sicuti in* Antholog. II. *cap.* 22. *quidam Callignotus medicus dicitur* Παιωνίης πληθόμενος σοφίης, Pæonia plenus arte, *h. e.* arte medica, *ducta nomenclatione a* Pæone *medico; sic in nostro epigrammate* Ἀονίη σοφίη *est* ars Poëtica, *mutuato nomine ab Aonia Bæotiæ regione; unde ipsæ Musæ* Aonides *dictæ sunt. Tralaticium porro est, atque apud Poëtas passim obtinet, ut artes vel ab auctoribus suis, vel ab iis, qui supra ceteros in sua quisque professione excelluerunt, cognomina sibi pariant. Ars Medica, quam modo* Παιωνίδα σοφίην *vocatam in* Antholog. *vidimus, ibidem lib.* IV. *cap.* 19. ποδαλειρίη τέχνη *dicitur, utique a* Podalirio *Æsculapii filio. Tiresias Vates describitur ab Ovidio in* Ibin v. 264.

. . . . Apollinea clarus in arte Senex.

ubi Ars Apollinea *est divinandi peritia, qua se vates ab* Apolline *donatum testatur apud Horatium II. Satyr.* v. *Ab Ovidio non longe abit sententia pentametri nostri epigrammatis;* πρέσβυν ἔτ' Ἀονίης ἐυπέραμον σοφίης; *h. e.* Senem in Aonia quoque exercitatum arte; *ubi* Ἀονίη σοφίη *erit* Poëtice, *seu* ars Musarum, *quibus Poëtæ sua carmina accepta referebant. Imo* Poëticen,

ticen, *quam eleganter Synesius* σύνναον, *h. e.* contubernalem *Philosophiae facit, passim dictam esse* Σοφίην *pluribus, si id agerem, suadere possem; usque adeo, ut Scholiastes Pindari ad Isthm. Od. v. sic commentetur:* Σοφοὺς ἔλεγον τοὺς ποιητάς, Poëtas vocabant Sapientes: *nimirum quod ii soli* sapere *videbantur, si qui in arte poëtica rite versarentur. Atque ea quidem in Poëtica Philippi commendatio impulit, opinor, Pontanum, ut vetustum hunc titulum inferret in suam aediculam; nempe ut uno sub tecto degerent olim, quorum animos studiorum conjunctione pares idem poëticae spiritus afflaverat. Fuit sane Jovianus in veterum cultura nimius. Nam ut de brachio T. Livii Patavini, quod in suum sacellum comportasse ipse sibi videbatur (condonanda autem isthaec nimis facilis credulitas homini colligendis litteratorum reliquiis incitatissimo) ut de eo, inquam, taceam, Alcibiadem, de quo ibidem prostat graeca inscriptio, in litteris humanioribus fuisse versatum, non levibus indiciis suadere possem. Jamvero nostro epigrammati, de quo hactenus locuti sumus, inde majus irrogabitur pretium, quod nobis Antigonum Consulem reservavit. Antigonus, inquam, Consul fuit, non vero Philippus ejus pater; ut perperam quis ex Jano Grutero in Append. Magistr. p.* MXCVIII. 8. *& ex Caesare Capacio Antiquit. Neapol. cap.* x. *colligere posset: qui cum praeter cetera in eo peccant, quod* ΥΠΑΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ *pro* ΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΕΡΑ, *scribunt; tum uterque, Janus, quod dubitarit scripturam hujus epigrammatis esse* vix antiquam, *Caesar, quod Philippum Consulem Neapolitanorum fecerit, ingentes turbas cient. Meum autem hic non est, ut hasce lites pro dignitate componam; quidquid enim modo prolusi, id a me nonnisi animadversiones in Martorellianam interpretatio-*

 nem

nem extorserunt. Quae quidem interpretatio cum mihi omnino non probetur, mei officii partes esse reor, novam ab inchoato recudere, huc repetita genuina marmoris lectione:

Τὸν πάσης ἀρετῆς εἰδήμονα φῶτα Φίλιππον
Πρέσβυν ἔτ' Αονίης ἐυπέραμον σοφίης.
Αὐσονίων ὑπάτου πατέρα κλυτὸν Ἀντιγόνοιο
Θρέψε Μακηδονίη, δέξατο δ' Εἰταλίη.

Cunctarum virtutum heros hic ille Philippus
Cultor, & Aonia doctus in arte Senex;
Consulis Ausonidum Antigoni pater inclytus; ortum
Æmathia huic, sedem præbuit Italia.

Ut φῶτα *verterem* heroa, *fecit Homerus, qui Iliad.* Δ. *Machaonem vers.* 194. φῶτα, *mox vers.* 200. ἥρωα *salutat, tum maxime, quod* ἐμφατικῶς *dicatur, licet haud ignorem simpliciter usurpari aliquando pro* viro, *vel etiam homine, ut Callim. in Cer. v.*46.

.... κακὸν καὶ ἀναιδέα φῶτα.

Macedonia *in hoc epigrammate secundam producit: & recte quidem. Iis, quæ Berkelius adnotat ad Stephanum in v.* Μακεδονίη, *adde duplex epigramma apud Pausaniam l.* 13. *&* VII. 8. *ubi* Macedonia *&* Macedones *secundam habent productam. Eandem & producit Callimachus hymno in Del. v.* 167.

Ἵξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνι κοιρανέεσθαι.

In ultimo pentametro sic scalpitur in marmore litteris confertis: ΔΕΙΤΑΛΙΗ. *Cl. Martorellius* Δ' Ειταλίη *legit. Factum non improbo.* Jota *enim longum sæpissime cum diphthongo* EI *alternat. Ceterum potuisset impune legi* ΔΕ Ιταλίη *pro consueto Latinorum more, litteras adscribentium, quas in carminis dimensione* συνεκφώνησις *suffuratur. Cujusmodi versus est ille Poetae Odyss.Γ.*227.

Βουκόλ' ἐπεὶ οὔτε κακῷ, οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας.

Verum hæc hactenus. Ad alterum græcum epigramma accedamus.

Mar-

Marmor Vetus.

ΕΝΘΑΔΕΤΗΝΙΕΡΑΝΚΕΦΑ
ΛΗΝΚΑΤΑΓΑΙΑΚΑΛΤΠΤΕΙ
ΑΝΔΡΩΝΗΡΩΩΝΚΣΜΙΤΟΡΑ
ΘΕΙΟΝΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ
ΑΤΡΗΛ · ΑΤΑΛΑΝΤΗΙ
ΙΔΙΩΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΗΣΕΝ

Marmor *Novum*

ΕΝΘΑΔΕ ΤΗΝ ΙΕΡΑΝ ΚΕΦΑΛΗΝ ΚΑΤΑ ΓΑΙΑ ΚΑΛΤΠΤΕΙ,
ΑΝΔΡΩΝ ΗΡΩΩΝ ΚΟΣΜΗΤΟΡΑ ΘΕΙΟΝ,
ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ.
ΑΤΡΕΛ . ΑΤΑΛΑΝΤΗ
ΙΔΙΩ ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣ ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

PRAECLARI CAPITIS PIGNVS HIC TERRA RECONDIT
QVI FVIT HEROVM DVX, ET DECVS ALMVM,
ALCIBIADEM.
AVRELIA ATALANTA
PATRONO SVO
CVIVS VITA BENE ACTA EST
FECIT.

JAC. MARTORELLIVS LATINE VERTIT. PRIMI TRES VERSUS NOVO METRI GENERE CONCEPTI SUNT.

Hanc inscriptionem recitant Gruterus p. MLXXXIX. 4. *& Capacius Antiq. Neap. cap.* XXII. *num.* X. *Epigramma etsi erroribus scalptoris inquinatum, perspicuitate tamen sua mirifice se se commendat; nisi quod mihi salivam movit Cl. Martorellius in subscriptione novi marmoris inquiens:* Primi tres versi novo metri gene-

genere concepti sunt. *Qui sint* primi tres versus *ex recensione Martorellii, libeat hic propius intueri*:

Ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γᾶια καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον
Ἀλκιβιάδην.

In inscriptionibus Gruteri, Reinesii, aliorumque occurrunt epigrammata, in quibus nec idem ordo semper sibi constat, nec structura eadem. In Auctore mirabilium Auscult. *legi hexasticon, ubi singulis hexametris bini pentametri interseruntur: at contra in Vita* L.Paul. Æmil. *epigramma Plutarchus profert, in quo pentameter unus cum tribus continuis hexametris copulatur. Apud Hephæstionem in* Enchiridio (*edit. Trajecti ad Rh. pag.* 4.) *Parthenius poeta elegiacus, cum* Archelaidi *in suo carmine elego locus esse non posset, callide hexametro jambum subjecit: eodem artificio usus est* Ibid. *pag.* 9. *Critias poeta in nomine* Alcibiadis. *Recitatur apud eumdem Hephæstionem pag.* 64. *epigramma Simonidis, quod tres versus non excedit; quorum primus hexameter est, quem excipit pentameter; tertius est jambus. Versum jambum pro pentametro legere est apud Aringhum lib.* IV. Rom. Subter. *cap.* 20. *quem temere Reinesius Cl.* XVII. *Inscript.* 147. *mutato nomine* Φιλησίη *cum τῷ* Φῆλιξ *in pentametrum marte suo recudit. Verum in his exemplis, quae sane plurima afferre possem, si quis* novum metri genus *se reperire dixerit, haud magnopere repugnaverim. Quidquid enim id est & quocumque nomine censeatur, recte* metrum *esse dicetur, quum metricis legibus contineatur.*

At in nostro Alcibiadis *titulo, quid monstri sit hoc* novum metri genus *Martorellianum adhuc investigare non potui. An dicemus poetam hic affectasse Dithyrambicam audaciam, quæ certam legem numerorum* indi-

indignatur, *an potius illum imitatum esse quorumdam antiquiorum in condendis inscriptionibus liberam versificandi licentiam? Et sane apud Pausaniam legi hos binos metricos titulos*, *lib.* v. *cap.* XIX.

Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον, Αἴθραν δ' Ἀθήναθεν
Ἕλκετον.

& ibid. cap. XXVII.

Φόρμις ἀνέθηκεν
Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακόσιος:

quorum primus in fine redundat, *alter initio peccat*. *Itaque cum Pausanias de hoc altero epigrammate scribat*, partem priorem (οὐ σὺν μέτρῳ) esse sine metro; *facile in hanc sententiam descendi*, *auctorem nostri epigrammatis*, *non consulto*, *sed negligentia id carminis effudisse*, *quod rectius* ἄμετρον, *quam* ἔμμετρον *cum Martorellio*, *decantaveris*. *Atque hæc opinio mihi videbatur satis probabilis; verebar tamen ut ceteris omnino satisfaceret*. *Dum in his eram*, *commode incidi in pulcherrimum epigramma*, *quod mihi ultra quaerendi finem fecit*. *Id epigramma sic habet:*

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

Condit humus caput hæc sacrum, qui versibus arma
Fortia divinis heroum ornavit, Homerum.

Id elogium inscriptum fertur sepulcro Homeri in Insula Io, *legiturque apud vetustissimum auctorem* De vita Homeri, *qui sub Herodoti nomine circumfertur: praeterea prostat in Anthologia lib.* III. in Poët. 3. *Quae cum ita sint; ecquis porro dubitare quiverit*, *quin auctor nostri epigrammatis*, *cum nihil e penore suo promere posset*, *quod pro dignitate scalperetur in marmore*, *ipsissimum Homeri epitaphium exscripserit? nisi quod pro* Ὅμηρον *inepte supposuit* Ἀλκιβιάδην, *nihil pensi*

ducens,

ducens, ſe in metricæ artis canones offendere. Atque auctor is, qui ut plagiarius, atque alienorum laborum expilator traducendus erat, noſtra hac ætate laudem conſecutus eſt apud virum Græca Latinaque litteratura cultiſſimum Jac. Martorellium, qui verſus hos ex parte male conſutos novo metri genere *FULGERE ſomniavit; & quod magis ridiculum eſt, ait in ſua horum epigrammatum editione*, conceptos eſſe ſelectiſſimis ex Homero verbis, *eo quod Neapoli fuerit ſchola* Homericoneapolitana; *quam Neapoli fuiſſe umquam utinam aliquando deſtertat!*

Die 1. menſis Septembris 1761.

REIMPRIMATUR

FRAGGIANNI

Carulli.



